Digitized by Google

CONC. NAZ.
PROV. DIOC.
162
B
57.
BIB. NAZ. NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
162
B
57
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DECRETA PROVINCIALIS SYNODI HYDRVNTINAE,

PRÆSIDENTE IN EA ILLVSTRI, ET REVERENDISSIMO

Domino Petro Antonio de Capua.

MISERATIONE DIVINA, AC SANCTÆ Sedis Apoſtolicæ gratia Archiepiſcopo Hydruntino, celebratæ de Menſe Septembris. M. D. LXVII. Hydrunti.



ROMAE,
Apud Iulium Accoltum.
M. D. LXIX.

PETRVS ANTONIVS DE CAPVA DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPVS HYDRVNTINVS

Prouinciæ noſtræ fidelibus ſalutem in Domino.

HVMANI generis culpam ita uincit benignitas, & clementia Dei Opt. Max. ut quotidie maiora erga nos merita conferentur: uerum ex diuinis muneribus, quorum, aut numerum aut magnitudinem aſſequi uix humana mens poteſt, nullum eſſe præſtantius, aut ſalutarius Tridentino Concilio, inter omnes conſtat. Nos igitur, quod eius Concilij decreto ſancitum eſt, ut Synodi Prouinciales ad ea corrigenda, quæ ſalutem animarum in diſcrimen adducunt, ex uetere conſuetudine celebrarentur, id præſtare conati ſumus coacta ſynodo, inuocata ope diuina, ex communi conſilio Epiſcoporum, eorumque omnium, quibus dicendæ ſententiæ poteſtas fuit, ea decernere ſtuduimus, quæ Prouinciam noſtram uniuerſam in optima uitæ diſciplina, in obſeruantia catholicæ Eccleſiæ, in rectiſſimo denique ad æternam felicitatem, curſu perpetuo continerent, ea quo facilius communicarentur inter omnes, dedimus operam, ut impræſſa emitterentur. Et quoniam ueſtra nobis ſalute nihil

eſt charius, pro Archiepiſcopali, quam ſuſtinemus, cura, & hortamur uos, & monemus, ut hæc à nobis, adiuuante Dei gratia, conſtituta, diligenter obſeruetis, proſpicientes animo, quæ delinquentibus pœnæ, quæ innocenter pieque uiuentibus præmia ſint futura, quæ iuſtus iudex in illa die pro cuiuſque merito perſoluet. Valete in Domino.

CAPITVM

QVAE IN DECRETIS HYDRVNTINAE SYNODI CONTINENTVR.

INDEX.

De profeſſione fidei. Car. 1
De ſacramentis in genere. 3
De ſacramento Baptiſmi. 4
De ſacramento Confirmationis. 5
De ſacramento Euchariſtiæ. 7
De Cuſtodia,& loco Euchariſtiarum, & de modo eam deferendi ad infirmos.
De ſacramento pœnitentiæ. 11
De ſacramento extremæ unctionis. 13
De ſacramento ordinis. 14
De ſacramento Matrimonij. 16
De inuocatione ueneratione,& reliquiis ſanctorum, & ſacris imaginibus,& de miraculis. 17
De purgatorio. 19
De delectu ciborum,ieiuniis,& diebus feſtis. 19
De ſepulturis,& exequiis mortuorum. 20
De examine,& inquiſitione in promouendis ad cathedrales, & parochiales Eccleſias. 21
De reſidentia Epiſcoporum,officio,& uita. 22
De reſidentia curatorum;& eorum officio,& uita, & de obedientia curatis a presbyteris exhibenda. 24
De indulgentiis et [illegible] 19.

INDEX

De prædicatione uerbi Domini. 25
De excommunicatione. 26
De uiſitatione. 28
De collatione,& inſtitutione beneficiorum. 28
Quòd beneficiati promoueantur ad ordines ſacros. 29
De conficiendo inuentario bonorum Eccleſiarum. 29
De Eccleſiis,& earum cultu. 29
De diuino cultu,& celebratione officiorum diuinorum,de ceremoniis,& muſica. 30
Vt Miſſarum,& alia diuina celebrentur iuxta obligationes cuiuslibet,& de earum reductione. 32
De priuati officii celebratione. 33
De piis locis. 33
De monaſteriis 34
De uita,& honeſtate clericorum. 36
De blaſphemia. 37
De ſimonia,& uſuris. 37
De publicis concubinariis,& meretricibus. 38
De ſeminarijs Clericorum. 38
De præbenda Theologali. 39
De ſcholis,& ludi magiſtris. 39
De libris hereticorum ſuſpectis,& uetitis, & qui libri a clericis potiſſimum ſint legendi,& de non abutenda Sacra ſcriptura. 40
De uniformi ratione fori, & iuriſdictionis exercendæ in prouincia. 41
De conſtitutionibus,& pœnis. 41
De exequendis per comprouinciales Epiſcopos, poſt receſſum huius Synodi,& de aliis. 43

FINIS.

Digitized by Google

* Nota hic de consilio et assensu: nam
nihil aliud ... dicere considentibus, ut
habetur in Annotationibus Concilii
Provincialis Bracarensis an. 1566
sub Bartholomeo de martyribus, quae
adnotationes fuerunt scriptae
ab cardinalibus Sac. Cong. Concilii

IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS.

Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.

NOS PETRVS ANTONIVS DE CAPVA, DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, ARCHIEPISCOPVS HYDRVNTINVS. de conſilio, & aſſenſu Reuerendiſſimorum Dominorum Coepiſcoporum noſtrorum, qui ad laudem, & gloriam Dei in hanc Prouincialem Synodum legitime conuenerunt, hæc quæ ſequuntur, ſtatuimus, & ordinamus.

DE PROFESSIONE FIDEI.

Cap. i.

IN NOMINE Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ſancta hac Synodus Prouincialis Hydruntina legitime congregata, Patrum exemplum in hoc ſequuta, ante omnia ſtatuit, & decreuit, præmittendam eſſe confeſſionem chriſtianæ, catholicæq; fidei, ueluti ignitum clypeum, & ſalutis galeam contra omnes hæreſes, aliaq; dogmata ipſi fidei aduerſantia, quæ cum una ſit, eandem una oris confeſſione iuxta formam in Bulla Fe. re. Pii Quarti traditam, in hunc qui ſequitur modum profitetur.

Credimus, & profitemur omnia, & ſingula, quæ continen-

Digitized by Google

tur SYMBOLO ſubſtantialem fidei, quo Sancta Romana Eccleſia utitur, uidelicet.

Credo in unum Deum patrem omnipotentem, Factorem Cœli, & terræ, uiſibilium omnium, & inuiſibiliũ. Et in unum Dominum Ieſum Chriſtum, Filium Dei unigenitũ. Et ex patre natum ante omnia ſæcula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum uerum de Deo uero, Genitum, non factum, conſubſtantialem patri, per quem omnia facta ſunt: Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis; Et incarnatus eſt de Spirituſancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt: Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt: Et reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas: Et aſcendit in cœlum: ſedet ad dexteram Patris. Et iterum uenturus eſt cum gloria, iudicare uiuos, & mortuos: cuius regni nõ erit finis, Et in Spiritum ſanctum dominum, & uiuificantem, qui ex patre; filioq; procedit: Qui cum patre, & filio ſimul adoratur, & conglorificatur. qui locutus eſt per Prophetas. Et unam ſanctam catholicam, & apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum: & expecto reſurrectionem mortuorum: & uitam uenturi ſeculi. Amen.

Apoſtolicas, & eccleſiaſticas traditiones, reliquasq; eiuſdem eccleſiæ obſeruationes, & conſtitutiones, firmiſſime admittimus, & amplectimur, Item ſacram Scripturam iuxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de uero ſenſu, & interpretatione ſacrarum ſcripturarum, admittimus: nec eam unquam, niſi iuxta unanimem conſenſum patrum accipiemus, & interpretabimur.

Profitemur quoque ſeptem eſſe uere, & proprie ſacramenta nouæ legis, a Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis (licet non omnia ſingulis) neceſſaria, ſcilicet, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium: illaq; gratiam conferre; & ex his Baptiſmum, Confirmationem,

firmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe.

Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ catholicæ ritus, in ſupradictorum omnium ſacramentorum ſolemni adminiſtratione recipimus, & admittimus. omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de Iuſtificatione in ſacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplectimur, & recipimus.

Profitemur pariter in Miſſa offerri Deo uerum, & proprium, & propitiatorium Sacrificium pro uiuis, & defunctis: atque in ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento eſſe uere, realiter, & ſubſtantialiter corpus. & ſanguinem, unà cum anima, & diuinitate domini noſtri Ieſu Chriſti, fierique conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ uini in ſanguinem: quam conuerſionem, Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat.

Fatemur etiam ſub altera tantum ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, uerumque Sacramentum ſumi. Conſtanter tenemus purgatorium eſſe, animasq; ibi detentas, fidelium ſuffragiis iuuari: ſimiliter & ſanctos unà cum Chriſto regnantes, uenerandos, atque inuocandos eſſe: eosq; orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe uenerandas.

Firmiter aſſerimus imagines Chriſti, ac deiparæ ſemper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe; atque eis debitum honorem, ac uenerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem a Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe; illarumq; uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe affirmamus.

Sanctam Catholicam, & apoſtolicam Romanam Eccleſiã omnium eccleſiarum matrem, & magiſtram agnoſcimus. Romanoq; Pontifici, beati Petri Apoſtolorum principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario, ueram obedientiam ſpondemus, ac iuramus: cætera item omnia a ſacris canonibus, & œcumenicis Conciliis, ac præcipue a Sacroſancta Tridentina Syno

do tradita, definita, & declarata, indubitanter recipimus, atque profitemur: ſimulq, contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, nos pariter damnamus, reiicimus, & anathematizamus.

Hanc ueram Catholicam fidem, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt; quam in præſenti ſponte profitemur, & ueraciter tenemus, eandem integram, & immaculatam, uſque ad extremum uitæ ſpiritum, conſtantiſſime, Deo adiuuante, retinere, & confiteri, atque a noſtris ſubditis, uel illis, quorum cura ad nos in noſtro munere ſpectabit; teneri, doceri, & prædicari, quantum in nobis erit, curaturos.

Sacri Concilii Tridentini authoritate innixi, mandamus, ut omnes ii, qui beneficia eccleſiaſtica obtinent, uel impoſterum obtinebunt: qui de canonicatibus, & beneficiis, præſertim curatis, prouiſi ſunt: necnon Notarii, & publice, & priuatim profitentes, & legentes ſcholarum magiſtri, & promouendi, ad doctorales, & alios gradus. & qui in Synodum Diæceſanam conuenire debent, in ea Synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, omnia, & ſingula ab eodem ſacro Concilio Tridentino definita, & ſtatuta palam recipiant, ſimulq; hæreſes omnes publice deteſtentur, & anathematizent: ueram obedientiam Summo Romano Pontifici ſpondeant, fidem profitentes eiſdem uerbis, quibus nos, & coepiſcopi noſtri initio huius ſanctæ Synodi fuimus profeſſi; & nullatenus ad exercendum officium ſuum admittantur, niſi prius de eorum fide, moribus, & ſana doctrina conſtiterit, & profeſſionem ſupradictam emiſerint. Qui ſi id facere negauerint, publice excommunicentur, & ſecundum formam ſacrorum canonum puniantur.

Digitized by Google

De ſacramentis in genere.

Cap. i.

NE propter irreuerentiam Sacramentorum ex quibus pendet Chriſtianorum ſalus, & peccatorum uenia, cæleſtis gratia, & ſpiritus ſancti communicatio, nobis pollicetur, ira Dei ſæuiat in miniſtros, caueant Sacerdotes, ne cum ſacramenta adminiſtrantur, diſſolutiones, riſus, deambulationes, aut clamores fiant, ſed qui aſſiſtunt, ualde deuoti, & humiles eſſe debent, cum myſteria ſingularia in ipſis contineantur, & Sacramentorum adminiſtratione omnis uera iuſtitia uel incipiatur, uel cœpta augeatur, uel amiſſa recuperetur, & per ea Deo uiſum eſt peccatis noſtris mederi, ac nobis gratiæ ſuæ medicinam, diuerſa tamen ratione, infundere. Iccirco, qui ſacramenta huiuſmodi miniſtrauerint: ſancte, & religioſe ab eis tractanda ſunt, & caueant, nequidquam pro illorum adminiſtratione exigant, aut petant, ſunt enim non ſolum ſine ſimoniæ labe, uerum etiam ſine auaritiæ, & turpis lucri ſuſpitione præbenda. Qui ſecus fecerit, pœnis a iure communi, & Epiſcopi arbitrio puniatur.

Cap. ii.

RITVS, & cærimoniæ omnes per Sanctam Romanam eccleſiam ſeruari ſolitæ in ſacramentorum adminiſtratione, in exorciſmis fontium, & ſponſarum benedictionibus ad unguem in tota Prouincia ſeruentur, & nouæ omnes excludantur. Et nemini liceat abſque ſuperpelliceo, ſtola, & lumine ſacramenta adminiſtrare: obſeruentur que omnia diligenter, quæ in cathechiſmo nuper ædito, in ſacramentorum adminiſtratione præſcripta ſunt.

Cap,

Cap. III.

CVM ſacramenta populo adminiſtranda erunt, Epiſcopi, & Parochi grauibus uerbis, & ſpiritu Dei pleni prius illorum uim: & uſum pro ſuſcipientium captu, lingua uernacula ſi opus ſit, pie, prudenterque diligenter explicabunt, iuxta formam a Sanctiſſimo Domino noſtro Pio Quinto in cathechiſmo ſingulis ſacramentis nuper præſcriptam, ut quæ de illorum ſingulis credenda catholica Eccleſia proponit, & an uita, & moribus tales ſe præbeant, quales ipſa Chriſtiani nominis profeſſio pollicetur, omnes intelligant, ad eorumque dignam perceptionem capaces inuitare, atque adhortari conentur, ne per imprudentiam, & hæreticorum deceptionem plebs imperita ignoret, quantum ſit ſibi a Chriſto relictum contra peccata remedium, uel eo abutatur ad mortem, & damnationem, quod illi præparauit ſaluator noſter ad ſalutem, & beatitudinem, & quanta diuinitatis potentia, quot arcana miracula ſacramentis nouæ legis inſint, oſtendant, ut ea ſumma cum religione colenda, & ſuſcipienda eſſe omnibus perſuadeant.

Cap. IIII.

PAROCHIALIVM Eccleſiarum Rectores etiam non uocati, infirmos ſuæ Parochiæ uſque ad mortem uiſitare teneantur, ut ad ſacramentorum perceptionem inducant, & eorum ſaluti ſolicite conſulant, & aſſiduis cohortationibus incumbant, ut populus ſibi commiſſus ad confeſſionem, & communionem frequenter accedat.

Cap. V.

PAROCHIALIA uero iura, quæ ex ſacris literis debentur miniſtris ſacramentorum, quæ etiam in uſu recepta ſunt, abrogare ſancta Synodus non intendit, hoc potiſſimum tempore, quo paupertas presbyterorum plu

rimum

rimum excreuit, ſed Decretis Innocentii Tertii in Concilio generali adhærens, ſtatuit, ut Epiſcopi pias conſuetudines in ſuis Diæceſibus obſeruari præcipiant, quibus introductum eſt, aliquid clericis pro benedictione nubentium, pro exequiis mortuorum poſtquam eadem libere exercuerint, a laycis præſtari debere. Abuſus uero in ſua Diæceſi quiſque Epiſcopus tollere ſtudeat, ut inter ſacra, ſcandala non oriantur.

De Sacramento Baptiſmi.

Cap. i.

CVM Sanctiſſimo Baptiſmi Sacramento, ex morte filii Dei renaſcamur ad uitam, & perfecta Baptiſmi cognitio magnopere a fidelibus requiratur; omni diligentia curandum ſancta Synodus decreuit, ut paſtores omnem operam, & omne ſtudium in huius ſacramenti tractatione adhibeant, eius myſterii memoriam renouent, & diuinitatem commendent: Fontes uero quibus hæc ſalutaris unda ſeruatur, lapidei ſint, & decenti operimento, clauiumque munimine cuſtodiantur, ut ab omni ſordium, aut alterius cuiuſcumque rei periculo tuti eſſe poſſint.

Cap. ii.

SACERDOS baptizaturus ad tanti muneris functionem ſancte, grauiter que accedat, & omnia, & ſingula obſeruet, quæ a ſancta Romana Eccleſia ſtatuta ſunt: moneatque præſentes, ut quid agatur, pie ac religioſe attendant.

Digitized by Google

Cap. iii.

IN aulis, & domeſticis parietibus prohibemus, ne ſacerdos baptizare præſumat, ſed in Eccleſiis dumtaxat, in quibus ſunt fontes ad hoc ſpecialiter deputatæ, niſi talis neceſſitas emerſerit, propter quam ad Eccleſiam abſque periculo acceſſus haberi nequeat: Domi etiam Sanctum Baptiſma tribuendum Sancta mater Eccleſia approbauit.

Cap. iiii.

PARENTIBVS (ne ipſorum negligentia aliquis infantium ſine baptiſmo decedat) præcipitur ſub pœna excommunicationis, ut intra octo dies a die partus, quanto citius, & commodius poterunt, infantes ſuos baptizari facere teneantur.

Cap. v.

CVM autem in neceſſitate (ſi Clericorum copia haberi non poſſit) layci mares, & eis abſentibus fœminæ baptizare poſſint, modo rectam baptiſmi formam nouerint, quam Parochi ſemel in menſe ſuos Parochianos inſtruant, Quod ſi infantes in articulo mortis ſint, nec Sacerdotis copia haberi poſſit, nec clerici aliqui adeſſe poſſint, ipſi eos baptizent, infundendo aquam ſuper infantis caput, & dicendo ſequentia uerba. Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Quæ uerba, ſacerdos uulgari ſermone proferat, ut ab eis facilius intelligantur, quibus nihil prorſus ab ipſis addendum, uel detrahendum eſſe ſæpe populum ſuum admoneat. Quòd ſi domi infans baptizatus poſtea uixerit, cum primum per ualetudinem licuerit, eum in Eccleſia ſiſtant, ubi ſi rectam baptiſmi formam ſeruatam eſſe conſtiterit, ei tantum ritus & ceremoniæ baptiſmi adhibeantur. Quòd ſi de forma rite ſeruata non conſtiterit, tali forma baptizet.

baptizet. Si es baptizatus, ego non te baptizo, ſi non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. & ritus, & ceremoniæ baptiſmi etiam adhibeantur.

Cap. vj.

NE plures baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant, ſed unus tantum ſiue uir ſiue mulier, uel ad ſummum unus, & una, Tridentino Concilio ſtatutum eſt, quos & laudabilis uitæ, & honeſtæ famæ, & chriſtianæ pietatis cultores eſſe conſtiterit, neque ſit clericus in ſacris, uel monachus, aut qui ignorauerit Symbolum apoſtolicum, Orationem dominicam, & angelicam ſalutationem, in quibus baptizati ſuſceptorum opera, & cura erudiri debent.

Cap. vii.

DOCEAT Parochus, quòd non inter omnes qui baptizandum tetigerint, ſed inter ſuſcipientes deſignatos, & baptizatum ipſum & illius patrem, & matrem ſpiritualis cognatio contrahitur; & omnes abuſus tollantur, quibus uel ratione Albæ, uel alio quocumque modo affinitatem uulgus contrahi credit.

Cap. viii.

HABEAT librum Parochus in cauto, & conuenienti loco, in quo baptizati, & eius parentum, & ſuſcipientium nomina, diemque celebrati baptiſmi, & ſi ex iuſtis nuptiis ſuſceptus fuerit, denotet.

Cap. ix.

ADMONEANTVR ſuſceptores, quàm magni momenti actionem ſuſcipiant, cum hoc munus adeo negligenter in Eccleſia tractetur, ut nudum tantum huius functionis nomen relictum ſit, intelligentes,

Chriſto filios ſpiritualiter generari, ſuique muneris eſſe, eos chriſtiana fide, pietate, chriſtianæ religionis rudimentis, & optimis moribus formari curare.

Cap. x.

QVIA re ipſa inuenimus, quod nonnulli ſacerdotes ſecundum ritum Eccleſiæ græcorum præſertim orientalium uiuentes, in ſacramenti adminiſtratione ſacri baptiſmi, utuntur eo oleo ſancto, quod ab ipſiſmet presbyteris benedicitur, & eo chriſmate, quod ab eorum Patriarcha dicunt fuiſſe benedictum, mandat, & præcipit dictis presbyteris hæc ſancta Prouincialis Synodus, ut in poſterum, in dicti ſacri baptiſmi adminiſtratione, eo oleo, & eo chriſmate uti debeant, quæ ab Epiſcopo in cuius Diœceſi morabuntur, ad hunc uſum fuerint benedicta, accipientes ſanctum chriſma, & ſacra olea cathecuminorum, & infirmorum ab Eccleſia cathedrali cui ſubſunt, ut illis in ſacramentorum adminiſtratione utantur ſecundum uſum, & ritum Latinæ, & Romanæ Eccleſiæ, aliàs ſeueriſſime puniantur ab ordinariis, & ſi eis uidebitur eiiciantur.

De Sacramento Confirmationis.

Cap. i.

SANCTA Synodus Epiſcopis omnibus mandat, ut omnem ſolicitudinem adhibeant, ut ſui gregis oues intelligant, hoc ſacramentum non ſolum negligendum non eſſe, ſed ſumma cum pietate & religione ſuſcipiendum, ne fruſtra in eos diuinum hoc beneficium collatum eſſe uideatur: ipſi præfixis temporibus pro locorum neceſſitate id conferre non omittant, ut ſpiritum Sanctum in confirmationis ſacramento ad robur accipientes, aduerſus mundum, carnem, & hoſtis

hoſtis inſultus confirmentur, & perfecti Chriſti milites eſſe incipiant, nomenq; Chriſti audacter confiteantur.

Cap. ii.

CVRATI, populum ſuum de huius ſacramenti ui, & uirtute doceant, ſicut etiam nos Epiſcopi in eius adminiſtratione faciemus; & omnibus quidem poſt baptiſmum, confirmationis ſacramentum poſſe adminiſtrari, ſed uſque ad ſeptennium differre maxime conuenire; hortenturque adultos, ut antequam ad hoc ſacramentum ſuſcipiendum accedant, peccata ſua ſacramentaliter confiteantur, & non niſi ieiuni illud accipiant.

Cap. iii.

DOCEATVR populus, quòd in poſterum per ſacramentum confirmationis inter confirmantem, & confirmatum, illiusque patrem, & matrem, & tenentem tantum contrahitur cognatio ſpiritualis: & quòd ne Clerici aut monachi in ſacris ordinibus conſtituti, ſine licentia, accedentes ad ſuſcipiendum ſacramentum confirmationis teneant.

Cap. iiii.

OMNEM diligentiam adhibeant Epiſcopi, ut Parochi librum penes ſe habeant, in quo nomina patrinorum, & confirmati deſcribant, & uaſculum in quo ſanctum chriſma conſeruabitur, ſi non argenteum, ſaltem ſit ſtanneum, & cuſtodiatur in Eccleſia in loco huic uſui deputato, & clauibus adhibitis.

Digitized by Google

Cap. V.

QVIA accepimus non nullos, eſſe in hac Prouincia, iuxta ritum, & morem Eccleſiæ græcorum uiuentes, qui ex antiqua inter eos ſeruata conſuetudine, antiquum errorem presbyterorum non nullorum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ab orthodoxa ac catholica Eccleſia reprobatum ſectantur, & defendere audent, ſacramentum ſcilicet confirmationis, quod alio uocabulo chriſmatis dicitur, debere a ſimplicibus presbyteris ſtatim poſt baptiſmi ſuſceptionem fidelibus per unctionem, ſiue ſignationem in fronte exhiberi, eosque non amplius ab Epiſcopo ſignandos, ſeu confirmandos: ſancta hæc Prouincialis Synodus mandat, & præcipit omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus; tam ex profeſſione Eccleſiæ latinorum, quàm ex profeſſione Eccleſiæ græcorum, præſertim orientalium, in hac Prouincia exiſtentibus, ut communem, & approbatum ritum a Sancta Eccleſia, a tempore Apoſtolorum uſque ad hæc tempora noſtra, ut inquit Canon Sancti Martyris, & Pontificis ſummi Melchiadis, & Hiſpalenſis Concilii Decretum, obſeruent, & ſequantur, & congruis temporibus hoc ſanctum confirmationis ſacramentum tanquam uerum Sacramentum, & a Chriſto inſtitutum ut decet, cum deuotione per manus Epiſcopi ſui ordinarii ad id miniſtri ſacramentum idonei ſuſcipiant, cum ualde temerarium ſit, in ambiguum inducere, quod eſt ab ipſius Chriſtianæ religionis exordio ſancitum, & approbatum: Quòd ſi contempſerint adimplere, declaramus eos tanquam ſciſmaticos, & minus recte de Eccleſiaſticis ſacramentis ſentientes, priuandos, & priuatos eſſe ingreſſu Eccleſiæ, & Eccleſiaſtica ſepultura, reſeruantes epiſcopis facultatem, alias pœnas pro talibus criminibus imponendi, prout conueniens ad eorum, & aliorum correctionem, & expediens eſſe iudicabunt.

De

Cap. i.

SANCTITAS, & diuinitas cœleſtis huius Sacramenti, quò magis uiro christiano comperta eſt; eò diligentius cauere ille debet, ne abſque magna reuerentia, & ſanctitate ad id percipiendum accedat, memor illius tremendæ ſententiæ, Qui manducat, & bibit indigne, iudicium ſibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini. Quare nullus etiam ſacerdos ſibi conſcius peccati mortalis, quàntumuis ſibi contritus uideatur; abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad ſacramentum Euchariſtiæ accedere debeat, ſi adſit copia confeſſoris. Quòd ſi neceſſitate urgente ſacerdos abſque præuia confeſſione celebrauerit, quàm primum poſtea confiteatur, nec communicaturi ſtatim a peccatorum cõfeſſione communicent, ſed per aliquod tempus orationibus & ſatisfactionibus, & bonis operibus incumbant.

Cap. ii.

CVM Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrandum erit, quo ſpiritus noſter alitur & ſuſtinetur, Parochus uim & uirtutem illius declarabit, & hortabitur populum, ut deuote demiſſo habitu, & humili ueſtitu, pœnitentiam, & ſummiſſionem præſeferens, ad illud ſumendum accedat, & ubi Eccleſiarum capacitas, & commoditas id patiatur; ſeorſum a mulieribus uiros communicet.

Cap. iii.

PAROCHVS non præbeat Euchariſtiæ ſacramentum illis, qui tunc primum ſumere uoluerint, niſi rationis uſum habuerint, & deuotione aliqua ad hoc ſacramen

tum

tum ſuſcipiendum ducantur, & de ui, & uirtute ſacramenti diligenter prius eos inſtruxerit.

Cap. iiii.

POST Euchariſtiæ Sacramentum, uinum populo non porrigatur in calice conſecrato, uel alio uaſe ad eius ſimilitudinem formato, & qui Euchariſtiam ſumpſerint, aqua benedicta aſpergantur, ut pro tanto beneficio Deo gratias agere ualeant.

Cap. v.

QVI præſtituto tempore, ideſt in Paſchatis diebus ſecundum uſum & præceptum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſacratiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum non ſuſceperint, octaua Paſchatis tranſacta, eorum nomina Parochus ad ſuum Epiſcopum deferat, ut cenſuris, & pœnis eos acriter puniat, niſi eiuſdem Parochi conſilio, iuſta de cauſa communionem in aliud tempus produxerit.

Cap. vi.

IN ſua quiſque Parochia dicto tempore communicet, & ſi quis ab alio quàm a proprio Parocho iuſta de cauſa per ordinarium approbanda, communionem acceperit, niſi ueritatis fidem ab eodem a quo ſumpſerit, proprio ſacerdoti detulerit, in eum agatur, ac ſi non communicaſſet.

Cap. vii.

PVBLICI concubinarii, Fœneratores, aut obligati ad reſtitutionem, blaſphemi, & alii eiuſmodi facinoroſi homines, ſemel ad pœnitentiam, & communionem admiſſi, ſi poſtea adhuc in peccato perſeuerent, & nullam ſatisfactionis, aut pœnitentiæ partem præmiſerint, amplius ad ſacram communionem Parochi non recipiant.

De

De cuſtodia & loco Euchariſtiæ & de modo illam deferendi ad infirmos.

Cap. I.

SANCTVM Euchariſtiæ Sacramentum, quod in Eccleſiis Cathedralibus, collegiatis, & Parochialibus pro infirmis aſſeruari debet, aut in aliis Eccleſiis deuotionis cauſa in ſacrario reſeruetur, ut digne atque in loco honorabili prout decet, cuſtodiatur; ſancta Synodus mandat, quòd eo ampliori ſumptu quem facultates cuiuſque Eccleſiæ pati poſſe uidebuntur, fiat tabernaculum ligneum, pulchrum, deauratum, cum ſua claui, & ſuper altari maiori collocetur, niſi iuſta de cauſa aliter eis uiſum fuerit, & ita bene, & firmiter ſtabiliatur, ut inde per ſacrilegas manus auelli nullò modo poſſit, ut ſic Euchariſtia ſancta ſit in loco ſingulari, mundo, & clauſo: in quo tabernaculo aliud paruulum tabernaculum ex argento, uel ſaltem ex orichalco ſit, & in eo cum corporali mundiſſimo, ac ſerico operimento dominicum corpus ad infirmos deferendum cuſtodiatur. In cappella uero illa; ſeu loco in quo dominici corporis ſacramentum ſeruatur, deambulationes, riſus, turpiloquia, conſilia tum clandeſtina tum publica, & uerba ocioſa nullo pacto fiant, ſed maiori qua poſſunt reuerentia ſacramentum hoc tam uenerabile ſeruari ſtudeant.

Cap. II.

CVRENT Epiſcopi, ut ſacerdotes animarum curam, & Euchariſtiæ adminiſtrationem in Eccleſiis ſuis habentes; bis in menſe ad minus Euchariſtiam infirmorum cauſa reſeruatam ſumant, & nouam parent, & teneantur prouidere, ut ante ipſam ſemper ſit lampas accenſa, & perpetuum lumen die, noctuque ardens, ut conſpi-

cuum

cuum eſſe poſſit, in honorem ſacramenti accenſum eſſe, & circa luminis impenſam, cuiuſque loci conſuetudo ſeruetur.

Cap. iii.

SACERDOS ſuperpelliceo, ſtola, & pluuiali indutus, Sanctiſſimam Euchariſtiam ſuperpoſito mundo uelamine ad infirmos honorifice ante pectus cum omni reuerentia, & timore, ſemper lumine, & campanella præcedentibus, cum pallio ubi haberi poſſit, deferat, & referat, quo populus admoneatur officii ſui cum erga ſacramentum, tum erga laborantem infirmum, ſitque in qualibet parochiali Eccleſia una laterna aurata cum ſuo baculo in uſu habenda, ut ſi cætera lumina fuerint extincta, in ea tamen lumen ſemper ſeruari poſsit.

Cap. iiii.

SACERDOTES ad communicandum accedentes, duas ſacræ hoſtiæ particulas deferant, ne dum Eccleſiam repetunt, populus inane uaſculum adorent: ſin autem forte contigerit, ut ad Eccleſiam ſine Euchariſtia reuertantur, lumen præferri, & ſignum campanella dari prohibeant.

Cap. v.

PRAECIPIT ſancta Synodus, quod in qualibet cathedrali, & Parochiali Eccleſia mos iſte introducatur, ut priuſquã Sacerdos accedat ad infirmum cum ſacramento, ſemper pulſetur Aue maria, & dentur quædam ſigna ad inuitandum populum ad aſſociandum ſanctiſsimum Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti, quem ſæpiſsime Parochi hortentur, ut frequens ſemper proſequatur, & dum circumfertur, omnes genuflectant, & interim in domo infirmi

paretur

paretur locus mundus, in quo cùm debita reuerentia, & cuſtodia, Sacramentum ſiſtere poſſit.

Cap. vii.

VT autem feruentius homines excitentur ad aſſociandum Sacramentũ corporis domini noſtri Ieſu Chriſti, cum ad infirmos defertur, eadem ſancta Synodus hortatur Epiſcopos, & Parochos, ut in qualibet Cathedrali, & Parochiali Eccleſia huius prouinciæ, introducatur uenerabilis Societas corporis domini noſtri Ieſu Chriſti, ut confratres, & Sacerdotes cum campanæ ſignum audiuerint, ad illud aſſociandum cum lumine tanto decentius accedãt, & quiſque Epiſcopus det indulgentiam quadraginta dierum omnibus tantum Sacramentum deuote, & reuerenter comitantibus.

De celebratione Miſſarum & frequenti diuini Sacrificii oblatione.

Cap. i.

SANCTA Synodus ante omnia quod ad hanc rem annet, quæcunque ſanctum Oecumenicum Tridentinum Concilium ſtatuit, obſeruari mandat, atque modis omnibus hortatur, ut quicunque ad tremendum Miſſæ ſacrificium celebrandum acceſſerit, is in primis mentem puram, & attentam ad tanti ſacramenti myſteria perficiendum afferat (Sacerdotes enim ad dominum accedentes, ſanctificari debent) ut ſic cum uero corde, & recta fide, cum metu & reuerentia contritus, ac pœnitens, ſacrificium iſtud, quod uere propitiatorium eſt, atque pacificum, offerat, miſericordiam conſequatur, & gratiam inueniat in auxilio oportuno, cuius oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pœni-

tentiæ concedens,crimina, & peccata etiam ingentia dimittit,& ad bonum nos inclinat,& confirmat.

Cap. ii.

NEMO igitur,niſi bono teſtimonio cõſcientiæ præditus,& pœnitẽtia ſalutari,ſi neceſſe fuerit,præparatus & probatus, ac debita oratione accõmodatus,ad corporis,& ſanguinis Chriſti uenerabile Sacramẽtũ Deo patri offerendum ſe conferat,ne de ſingulari medicina, ſibi miſerabiliter æternam damnationem acquirat.Quod ſi urgente neceſſitate abſque præuia confeſsione celebrauerit, quàmprimum copia confeſsionis ei ſe obtulerit,confiteatur, neque miſſam celebret,niſi prius matutinum,& primam de die dixerit.

Cap. iii.

QVI pridie temulentus,inſolenſque fuerit, aut crimẽ notum admiſerit,à miſſæ celebratione ſe abſtineat, ne ſcandalum,& irreuerentiam tanto ſacramento irroget,& publice, & notorii criminoſi, niſi emendauerint,à miſſæ celebratione arceantur.

Cap. iiii.

SACERDOTES in miſſæ celebratione cerimonias à Romana Eccleſia inſtitutas ad unguem ſeruent, neque alias adhibeant,& nihil addendum,nihil etiam detrahẽdum ſciant,hortamurq; illos, ut antequam ad celebrandum accedant, priuatim prius omnia in miſſa dicenda perlegant, ne celebrando errandi periculum ſubeant,aut ad altare cum aſtantium ſcandalo titubent,aut hæreant,& miſſam legant in miſſali,non autem memoriter dicere præſumant,& cũ reuerẽtia,ac modeſtia diſtincte,non nimis feſtinãter,nec nimis prolixe celebrent,ita ut aſtantibus magis pietas quàm faſtidiũ generetur,nec miſſam incipiant,niſi accenſis candelis, & aliis omnibus quæ requiruntur,paratis.

Cap.

Cap. V.

INDVTI ſacris ueſtibus pro miſſa celebranda non con fabulentur cum aliquibus, neque loquentibus dēt aures ne diſtrahātur, ſed ad tantum opus perficiendum ſanct accingantur, & deuote probent ſe ipſos, ut dignè tantum ſaci ficium offerre poſſint. Non celebrent ante auroram neque meridie, niſi ex cauſa à iure per miſſa. Nō operto capite, nec biretum, aut aliud id genus in altari ponatur: Et ſecreta ſecre tò pronuncientur, & palàm pronuncianda, eleuata uoce prc ferantur, & peracta miſſa, Deo gratias agant pro ſummi ben ficii munere.

Cap. VI.

NON liceat celebrare niſi ſemel ſingulis diebus, Na talis Domini celebratione excepta, nec non in alii caſibus in iure permiſſis, & celebranti unus ſalter miniſter adſit, ſuperpellicio indutus.

Cap. VII.

DIE Sabbati ſemper miſſa de beata Virgine celebre tur, niſi diei ſolemnitas obſtiterit, quo caſu, eius cō memoratio omnino fiat, & in Eccleſiis ubi plure miſſæ celebrari ſolent, pro populi commoditate prima diluc lo; reliquæ debito interuallo diſtributæ, poſtrema quo tardiu liceat, celebrentur.

Cap. VIII.

CVM nimis abſurde uideatur in ſacris ſordes neglig re, quæ dedecent in profanis, ornamenta, & inſtrum ta altarium pro celebratione miſſæ pura, ac munc ſint, præſertim corporalia, ac purificatoria. Vinum præp retur recens in ampullis, & illud ſit album, ſi haberi potes

D 2 & h

& hoſtia ſit integra, ſolida, & non nimis uetuſta, & calices ex metalli genere, iure permiſſo, adhibeantur, eoq; prætioſiori, quantum per facultates licuerit.

Cap. ix.

VAGO & ignoto Sacerdoti interdicimus miſſam celebrare, & Rectores Eccleſiarum illum non admittant ſine licentia ordinariorum: neque ſecularis, neque regularis Sacerdos in domibus priuatis, aut oratoriis ab ordinario non approbatis, audeat celebrare.

Cap. x.

FIDELES, cum miſſæ interſint, ita ſe componant, ut corporis habitu, animi religionē præſeferant, & aperto capite ſint, & genuflexi, niſi cum ſanctum legatur Euangelium, nec ita prope ad altare accedant, ut indecorum uideatur, nec prius diſcedant, quàm ſacerdos Euangelium quod poſt benedictionem dicitur, abſoluerit.

Cap. xi.

MONEATVR populus à Rectoribus, ut eorum filii, & famuli qui in agris colendis, & beſtiis paſcendis occupantur, ſaltem diebus feſtis miſſam audiāt, dominorum, & patrum conſcientias onerantes.

Cap. xii.

MVLIERES, quibus ob maritorum, filiorum, & aliorum parentum mortem, domo exire indecorū uidetur, ut celebrationi miſſæ interſint diebus quæ ſunt de præcepto, nulla eis cuiuſuis excuſatio ualeat, ſed ad miſſæ auditionem per pœnas, & cenſuras Eccleſiaſticas arbitrio Epiſcopi cogantur.

Cap.

Cap. xiii.

POPVLVS feſtis diebus in ſua Parochia miſſam audire admoneatur, in qua, ſi id fieri commodè poteſt, ut à Sacra Tridentina Synodo traditum eſt, conueniat ad audiendum uerbum Dei.

Cap. xiiii.

PROLEM illegitimam patre celebrante, altari aſtare prohibemus, & filii clericorum, qui nō ex legitimo nati ſunt matrimonio, in Eccleſiis ubi eorum patres beneficium aliquod Eccleſiaſticum habēt, uel habuerunt, iuxta Sacri Concilii Tridentini Decretum, nō miniſtrent, quod in aliis etiam obſeruari uolumus.

Cap. xv.

CONDITIONES cuiuſuis generis mercedem in miſſarū celebratione, pacta & importunas eleemoſinarum exactiones, & alia huiuſmodi quæ à Simonia ca labe, uel à turpi queſtu non abſunt, omnino prohibemus.

Cap. xvi.

EPISCOPOS ſaltem dominicis, & ſolemnibus diebus, niſi iure impediantur, miſſam celebrare Sācta Synodus hortatur, & qui ad presbyteratus ordinem ſunt aſſumpti, iiſdem diebus miſſam celebrare non omittant. Animarum uerò curam habentes, uel alia ex cauſa obligati tā frequēter, ut muneri ſuo ſatisfaciant. Diaconi, & ſubdiaconi bis ſaltem, clerici tantum, & in minoribus ordinibus, ſemel in menſe Euchariſtiam ſumant, qui ſi abſque iuſta cauſa id facere omiſerint, ad Epiſcopum deferatur.

De

De Sacramento poenitentiæ.

Cap. i.

QVONIAM autem Deus diues in misericordia cognouit figmentum noſtrum, illis etiam uitæ remedium contulit, qui iuſtitiam in baptiſmo ſuſceptam amittentes, ſe ſe poſtea in peccati ſeruitutem, & demonis poteſtatem tradiderunt, Sacramentum uidelicet, pœnitētiæ, quo lapſis poſt baptiſmum beneficium mortis Chriſti applicatur, & cuius ope ſanitas ammiſſa reſtituitur, poſtquā peccati uulnus accepimus. Ideo Parochialium Eccleſiarum Rectoribus ſancta ſynodus præcipit, ut ſancta illa cōſuetudo ſæpius confitendi peccata noſtra, reuocetur, & poſt confeſſionem percipiendi ſacratiſſimam Euchariſtiam, præſertim in natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, in ſolemnitate Spiritusſancti, & in Paſchate, moneantq; populum, & ſæpiſſime inculcent, quemquam ſingulis annis, ſaltem cùm ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua peccata proprio Sacerdoti cōfiteri oportere, iuxta Innocentii tertii conſtitutionem in generali Concilio æditam, quam ſingulis dominicis Quadrageſimæ in Eccleſiis ſuis uerbo publicent, & ad eam obſeruandam quemquam fidelem teneri declarent.

Cap. ii.

IVXTA Cōcilii Tridētini Decretū præcipitur, ut uullus ſacerdos ſæcularis, neque regularis, cōfeſſiones ſæculariū et Sacerdotum audiat, niſi aut Parochialem Eccleſiā, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis uidebitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, qui in illorum approbatione hanc rationem teneāt,

ut pii,

ut pii, bene morati, docti, prudẽtes, paciẽtes, de animarũ ſalute ſoliciti, & fideles ſint cuſtodes eorum, quæ in confeſsione dicuntur, prouecta etiam ætate, præſertim illi, quibus confeſſiones mulierum erunt audiendæ. Et ideo in quauis Eccleſia etiam regulari affigatur tabella, in qua nomina, & cognomina confeſſorum approbatorum deſcripta ſint. Circa Regulares autem, obſeruetur Motus proprius Sanctiſs. Domini noſtri Pii Quinti.

Cap. iii.

CONFESSORES pœnes ſe habeant annotatos caſus Apoſtolicæ ſedi, & Epiſcopis reſeruatos, ne negligentia, aut ignorantia eam facultatem ſibi aſcribant, quam ſibi nouerint eſſe denegatam.

Cap. iiii.

SACERDOTES ſuperpelliciis induti, & ſtola ſuperpoſita ad cõfeſſiones audiendas ſedeant, & aptũ locũ in Eccleſia, ita ut ab omnibus uideri poſſint, ſibi eligãt. In locis obſcuris, & tenebroſis confeſſiones non audiant, nec extra Eccleſiam niſi ob magnam neceſsitatem, uel infirmitatẽ, néue mulieres ante ſolis ortum, uel poſt eius occaſum confitentes audiant, niſi ſuadente cauſa neceſſaria. Qui aliter fecerit, grauiter ſui Epiſcopi arbitrio puniatur.

Cap. v.

CONFESSORES canones pœnitentiales bene nouerint, ut ſciant illos poſtea ſapienter diſcutere, & moderari ſecundum peccati circunſtantias, & contritionis qualitatem, ne peccantes nimia acerbitate deſperent, neque nimia facilitate ad peccandum alliciant, & poſtquam cõuenientes ſatisfactiones confeſsis iniunxerint, eos quoque de eorundem canonum rigore admoneant, ut tanto diligentius

à peccatis

à peccatis cauere ſtudeant, quanto ſanctæ matris eccleſiæ. benignitatem in pœnitentiis canonum mitigandis experiũtur.

Cap. vi.

QVI publicè in multorum cõſpectu crimen commiſerint, unde alios ſcandalo offenſos, non ſit dubitandum, epiſcopis à Parochis denuncientur, ut uel publicam pœnitentiam eis iniungi mandent, aut ſi illis magis expedire uiſum fuerit, publicè hoc genus pœnitentiæ in aliud ſecretum commutare poſsint.

Cap. vii.

NVLLVS ſacerdos, quacũq; ex cauſa, uerbo uel ſigno, aut alio quouis modo audeat directe, uel indirecte confesſionem reuelare: ſi enim de hoc atrociſſimo delicto conuictus fuerit, abſque ulla miſericordia degradabitur, & ad agendam pœnitentiam perpetuam detrudetur: ſi tamen indigebit conſilio, illud ſine expresſione perſonæ caute requirere poterit, & ſic perpetuum, & religioſum ſilentium cuſtodire.

Cap. viii.

PRO confeſsione, aut abſolutione nihil exigant cõfeſſores, & ſi pænitentias iniungant pecuniarias, illas non ſibi, ſed piis operibus applicent, ſic etiam miſſas ipſi non celebrent pro pænitentiis iniunctis, ſed ad alios mittant, & male ablata ſibi à confitentibus conſignata, apud ſe retinere, aut diſtribuere non præſumant, ſed adeant ſuum ordinarium, aut Vicarium, qui illa recipiet, & iuſte ſecũdum iura diſtribuet, aliàs excommunicationis pœnam incurrãt, & tam cõſignatio ordinario faciẽda quàm diſtributio eleemoſynarum huiuſmodi cum rogitu Notarii, & teſtium fiant.

Cap.

Cap. ix.

MONEANT Parochi populum,ut ad tantum Sacramentum quo nobis Paradiſi ianua aperitur, nemo ſine debita preparatione accedat,in humilitate cordis,& amaritudine animæ ſuæ, & ipſemet Sacerdoti peccata ſua denudet, nõ expectata confeſſionis interrogatione,quam diligentiam,ſi quando Sacerdos aliqua in re deficere proſpexerit,ab eodem præcipimus adiuuari.

Cap. x.

INNOCENTII Tertii conſtitutionem ad uſum reuocã tes præcipimus medicis ſub pœna excommunicationis, ut poſt ſecundam uiſitationem ad ægrotorum curationẽ non accedant, niſi cognouerint poſtquam in eum morbum inciderunt,idoneo confeſſori confeſſos eſſe.

Cap. xi.

IN Eccleſiis cathedralibus Tridẽtini Concilii Decretum obſeruari præcipimus,ut Epiſcopi intra quatuor menſes pænitentiarium conſtituant cum deputatione præbendæ primo uacaturæ,aut alia ratione ſibi prouideatur.

De ſacramento extremæ unctionis.

Cap. I.

ADVERSARIVS noſter,& ſi per omnem uitam occaſiones quærat,& captet,ut deuorare animas noſtras quoquo modo poſſit,nullum tamẽ tempus eſt, quo uehementius ille oẽs ſuæ uerſutiæ neruos intẽdat ad perdẽdos nos,& à fiducia,ſi poſſit,diuinæ miſericordiæ deturbãdos,quàm cum impendere nobis exitum uitæ proſpicit.Ideo clementiſsimus Redemptor noſter extremæ unctionis ſacra-

mento finem uitæ tanquam firmiſſimo quodam præſidio mu niuit. Gratia eſt enim ſpiritus ſancti, cuius unctio delicta ſi qua ſint adhuc expianda, hac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleuiat, atque confirmat, & tẽtationibus Demonum ut facilius reſiſtatur, concedit, & uelociorem tranſitum facit ad Deum.

Cap. ij.

CVRET igitur Parochus ſuperpelliceo, & ſtola indutus, hoc ſacramentum ægrotis conferre, dum integris ſunt ſenſibus, cum letaniis, & orationibus à tota Eccleſia ſeruatis, eos conſoletur & à curis, & deſideriis præſentis uitæ ad ſpem ſalutis æternæ erigat: diabolum, & eius uerſutias alto animo contemnere, chriſtiq; miſericordiam ſperare doceat, & ad preces pro infirmo fundendas comitantes, aut aſtantes hortetur, & ita confirmatum cum benedictione Chriſto Domino commendet.

Cap. iii.

VASCVLA in quibus ſacra olea conſeruabuntur ſint munda, de argento, uel ſtãneo, & honorabili teneantur panno lineo, & candido tecta, nec unquam laycis deferenda concedantur, & ponantur in loco tuto, & clauſo cum claui, in quo temeraria manus extendi non poſsit ad perpetranda facinora.

Cap. iiii.

PROVIDEANT Epiſcopi, ut olea ſancta ſcilicet Chriſma, oleum cathecuminorum, & infirmorum, renouentur ſingulis annis in die Iouis ſanctæ, & cætera olea crementur in lampadibus, noua autem ſumantur à matrice Eccleſia cum ſolemnitate, ſcilicet quòd ferantur per preſbyterum, uel conſtitutum in ordinibus ſacris in tribus ampullis

pullis diuiſis de argento, uel ſtanneo mundis cum laterna accenſa, & tollatur abuſus aliquorum locorum huius prouinciæ, ubi neſcio quid ſoluitur ſacriſtis pro dictis oleis habẽdis, non obſtante quacunq; conſuetudine.

Cap. V.

QVIA cõpertũ eſt, in hac prouincia eſſe nonnullos presbyteros ſecũdũ ritũ Eccleſiæ græcorũ præcipue oriẽtaliũ uiuentes, qui extremæ unctionis ſacramẽtũ nõ miniſtrant infirmis, niſi ipſis petentibus, uel ſuorũ cõfeſſorũ adhibito cõſilio, ex quo eorũ negligẽtia facile datur occaſio, aliquos ex hac uita decedere ſine hoc Sacramẽto, & illius fructu priuari, immo ex antiqua eorũ conſuetudine eo oleo utũtur ad hoc Sacramentũ miniſtrãdũ, quod ſeptem ex ipſis presbyteris ad hunc uſum benedicunt, non autem quod ab Epiſcopis benedicitur. Mandat propterea ſancta hæc Prouincialis Synodus dictis presbyteris, & Sacerdotibus, præcipue ſecundũ ritũ Eccleſiæ orientalis uiuentibus, & miniſtrantibus, ut deinceps omnem diligentiam, & ſolicitudinem adhibeant, ut infirmi omnes qui ſub eorum cura erũt, niſi iuſta cauſa interceſſerit, debito tempore hoc extremæ unctionis ſacramentum tanquam uerum, & à Chriſto inſtitutũ accipiant, & eo oleo utãtur, quod ab Epiſcopo in cuius Diœceſi morãtur, ad illud miniſtrãdũ fuerit benedictũ. Quòd ſi aliter fecerint, grauiſſimis pœnis in eos Epiſcopi ipſi aĩaduertãt.

De ſacramento ordinis.

Cap. I.

VT nemo miniſterium accipiat, quem nec ætas idonea nec indoles, nec uitæ integritas, & eruditio commendauerit, ſancta hæc Synodus inhærendo per omnia Decretis ſacri Concilii Tridentini, quòd accuratè omnem di

ligentiæ rationē quam in ordinibus, miniſteriiſq; conferēdis adhibere debeant Epiſcopi, cōplexum eſt, hæc quæ ſequuntur, ſub compendio quodam omnino retinenda conſtituit.

Cap. ii.

EPISCOPIS omnibus mādat, ut in ordinibus cōferēdis caueant, ne pro tali graduum collatione, nec per ſe ipſos, nec per interpoſitas perſonas nihil etiam ſpōte oblatum accipiant, nec à ſuis miniſtris accipi ſinãt, & pro literis & bullis Notarii, non amplius accipiant, quàm quod in Concilio Tridentino ſtatutum eſt.

Cap. iii.

IN minoribus, & ſacris ordinibus cōferēdis, Epiſcopi cōprouinciales eum teneant ordinem, qui in Pontificali Romano habetur, & omnis nouus reiiciatur.

Cap. iiii.

ILLI, in quos uel minores uel ſacri ordines erunt cōferēdi, aliquot dies ante ordinū collationē à ſuo Epiſcopo ad ciuitatē euocabuntur, qui aſcitis ſibi Sacerdotibus, & aliis prudentibus uiris peritis diuinæ legis, ordinãdorū genus, perſonam, ætatem, inſtitutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter inueſtigabunt, & examinabunt, an calleant quæ ad ordinem eis conferendum ſpectant.

Cap. V.

PROMOVENDI ad ſacros ordines per mēſem Epiſcopū adeãt, ut Parocho, aut alteri cui magis expedire uidebitur, cōmittatur, ut nominibus, ac deſiderio eorū qui uoluerint promoueri, publicè in Eccleſia propoſitis, de

ipſorum

ipſorum ordinãdorum natalibus,ætate,moribus,& uita à fide dignis diligenter inquirat,& literas teſtimoniales ipſam inquiſitionem factam continentes,ad ipſum Epiſcopum quàm primum trãſmittat, quæ per Vicarium, aut Archipresbyterum locorum in quibus reſident,fieri poſſint, qui ſi ſecus atqueres habet, teſtificati quacumque ex cauſa fuerint, ſeuerè puniãtur,nec niſi poſt annum à ſuſceptione poſtremi gradus minorum ordinum ad ſacros ordines promoueantur, niſi iudicium Epiſcopi aliud expoſcat.

Cap. vi.

PRIMA tonſura initietur is,qui ſacramentum confirmationis ſuſceperit,& fidei rudimenta,edoctus fuerit, quique legere,& ſcribere ſciuerit,& de quibus ſit cõiectura hoc uitæ genus elegiſſe,ut Deo fidelẽ cultũ præſtet.

Cap. vii.

AD minores ordines promouendi,ſaltẽ latinã linguã intelligant, & bonũ à Parocho,& à magiſtro ſcholæ in qua educantur,teſtimoniũ uitæ,& probitatis ſuæ habeãt,& ad nos deferãt.Nõ omnes ſimul conferãtur, ſed per tẽporum interſtitia, ut in uno quoque munere ſe exerceant, niſi aliud Epiſcopo expedire magis uiſum fuerit, nec omnibus paſsim, ſed iis tantum quos ſcientiæ ſpes,maioribus ordinibus dignos oſtendet.

Cap. viii,

NVLLVS,ẽt regularis ad ſacrũ ſubdiaconatus ordinẽ promouebitur ante uigeſimũ ſecundũ,ſuæ ætatis annũ,& qui grãmaticã teneat,& intelligat quæ legerit,cuius titulus,qui ſubdiaconatus ordinẽ quæſierit, ſi ſit beneficialis,patrimonialis, uel ad penſionem,& ſufficiens diligẽter

ter expendatur,nec recipiatur,niſi aut Vicarii,Archipresbyteri,uel Archidiaconi teſtimonio,& alio ſufficienti approbetur. Qui ſi ſit beneficiarius, ita ualeat,dummodo cōſtiterit,beneficium fructus idoneos habere,& non reſignet niſi aliud beneficium ſufficiens ſuſceperit,& aliter ſacta reſignatio nulla ſit.Si patrimonialis, non alienet, niſi aliunde ſit ſibi prouiſum. Si ad penſionem,quod extingui non poſsit, niſi aliunde habeat,quo ſe alat,iuxta Concilii tridentini decretum:quæ omnia ſine iudicio,& conſenſu Epiſcopi fieri non posſint.

Cap. ix.

AD Diaconatus uerò ordinem ante uigeſimum tertium ætatis ſuæ annum nemo ordinetur,qui interrogatus de Symbolo Apoſtolico,præceptis decalogi,Eccleſiæ ſacramentis,& de iis,quæ conueniunt ordini Diaconatus; rationem omnem reddiderit.

Cap. x.

AD Sacerdotiū quis nō promoueatur ante uigeſimū quintum annum,& qui non ſciat docere populum ea, quæ ſcire omnibus neceſſaria ſunt ad ſalutem, ac ſacramenta miniſtrare, & qui non ſit ea pietate, ac caſtis moribus, ut præclarum bonorum operum exemplum,& uitæ monita ab eo expectari poſsint.

Cap. xi.

VT functiones ordinum ab Apoſtolorum tēporibus laudabiliter receptæ,& aliquando intermiſſæ in uſū iuxta tridētini Concilii Decretum reuocentur,præcipit hæc SanctæSynodus,ut in Eccleſiis cathedralibus,collegiatis;&Parochialibus,ubi populus frequens,& prouētus Eccleſiæ tot ordines Eccleſiæ ferre poſſunt, Epiſcopi curent, pro Eccleſiarum commoditate has functiones reſtitui,& ſtipēdia aliqua exercentibus aſſignari, ne otioſe traducantur.

Poſtremo

Cap. xi.

POSTREMO cum ſanctis Synodis generalibus,& Sacro tridẽtino Concilio ſtatuit hæc prouincialis Synodus, ut nullus in poſterum quocunque in ordine ordinetur, qui non aſcribatur illi Eccleſiæ, pro cuius neceſsitate, aut utilitate aſſumitur,ubi ſuis fungatur muneribus, nec incertis ſedibus uagetur, quod ſi locum inconſulto Epiſcopo deſeruerit, Sacrorum ordinum exercitium ei interdicatur.

De ſacramento Matrimonii.

Cap. i.

CVM matrimonium ſit Sacramentum diuinitus inſtitutum, niſi ſanctè, & religioſe nec ſuſcipi, nec tradi debet,& ideo ſancta hæc Synodus Prouincialis ſeruari,ac recipi mandat,quæcunque de matrimonio ſacrum tridentinum Concilium decreuit,atque inter cætera quæ ſequũtur,præcipit.

Cap. ii.

MATRIMONIVM in facie Eccleſiæ fieri mandat, nec cum minori quàm duorum aut trium teſtium numero,una cum parocho fiat,& in loco ſacro celebrari hortatur,ut uberior diuinæ benedictionis fructus ab iis expectetur,qui pie, ac religioſe Eccleſiæ ritũ ſequuti fuerint.

Cap. iii.

PROCLAMATIONES ante matrimonium ter tribus diebus feſtiuis in Eccleſia Parochi facere nõ omittant,niſi aliter Epiſcopo uidebitur,& inter quos matrimonium ſit contrahendum,denuncient, admoneantq; populum,ut ſi quis eorum aliquid nouerint, imminere, quo celebrandum

brandum matrimonium poſsit impediri,neque illud reuelauerit,excõmunicationis uinculum ſe incurſurum, & ſi quod dubium emerſerit, quo minus matrimonium confici poſſe uideatur, Parochus ipſe ordinarium conſulat.Sepiſsime etiã inculcẽt, ne inter gradus prohibitos matrimonium contrahere, & multo magis conſummare præſumant,cum ſpe diſpenſationis obtinendæ omnino carebunt.Si uerò probabilis fuerit coniectura,matrimonium impediri poſſe, ſi denuntiationes fiãt,ſacri Cõcilii tridentini de ea re Decretũ obſeruetur.

Cap. iii.

GRADVS conſanguinitatis, & affinitatis ſiue naturalis, ſiue ſpiritualis,quibus matrimonium impediatur, & quomodo,& cum quibus ſuſceptores, aut ſuſceptrices è baptiſmo,& tenentes per confirmationis ſacramẽtum affinitatem trahant,Tridentini Concilii Decreta conſtituunt, quæ ſeruari omnino debere ſancta ſynodus declarat.

Cap. iiii.

PAROCHIALIVM Eccleſiarum Rectores, & curã animarum habentes,frequenter fideles doceãt,in matrimonio tria ſpectari debere.Fidem quæ ius coniugii ſeruet indiſſolubile:Prolem,ut Dei beneficio donata, mutua beneuolentia nutriatur, & religioſe inſtituatur:Sacramẽtum, ut exemplo Chriſti, & Eccleſiæ diuortium coniuges non ſeparet, ſeparatas uero quacunque etiã legitima cauſa, alienus thorus non recipiat, niſi alterius mors interceſſerit.

Cap. v.

MONEANT etiam contrahentes, ut quo ad fieri poteſt,eorum parentibus conſultis, & annuentibus matrimonia ineant. Identidẽ parentes ne per uim filios adhoc, illudue matrimonium adigant.

Benedictio

Cap, vi,

BENEDICTIO Sacerdotalis coniugibus nō detur, niſi in Eccleſia in mane cum miſſæ celebratiōe Quod ſi aliquod impedimentum adſit, Parochus Epiſcopo ſignificet, ut pro caſus neceſſitate, licentiam benedicendi cōiuges extra Eccleſiam ei concedere poſſit, & hortetur contrahentes, ut antequam contrahant, uel ante conſummationē matrimonii peccata ſua confiteantur, & ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum pie accedant, & ante benedictionem ſimul non cohabitent, abſtineatque Parochus à benedictione ſecundarum nuptiarum, quia cum ſemel benedictæ fuerint, nō debet amplius illa benedictio reiterari, ſed celebretur miſſa abſque ſolemni illa benedictione.

Cap. vii.

CLANDESTINA matrimonia nulla, & irrita fore Epiſcopi denuncient, & denuntiari curent: & Decretum Sacri Concilii Tridentini de clandeſtinis matrimoniis in cathedralibus, & Parochialibus Eccleſiis ſemel in menſe publicari faciant.

Cap. viii.

QVILIBET Parochus habeat librum, in quo coniugum, & teſtium nomina, diemque & locum contracti matrimonii deſcribat, & ſponſos in aliena parochia cōmorantes, nec coniungere, nec benedicere præſumat, niſi habita licentia ab ordinario, aut à Parocho coniugum, aliàs per annum ſuſpenſus maneat.

Cap. ix.

QVI uagantur, & incertas ſedes habent, frequēter per frau dem & nefas multas diuerſis locis uxores ducere tentant, & ideo ſeruetur Sacri Concilii Tridenti-

 ni de

ni de ea re Decretum, ut à Parocho non prius admittantur ad matrimonium celebrandum, quàm diligenter fecerit inquiſitionem, & re ad ordinarium delata, licentiam id faciendi obtinuerit, ut ſine ſacramenti contumelia eos coniungat.

Cap. x.

AB aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti uſque in diē Epiphaniæ: & à feria quarta cinerum uſque ad octauam Paſchatis incluſiue antiquas ſolemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obſeruari ſancta Synodus mandat. In aliis uero temporibus nuptias ſolemniter celebrari permittit, quas Epiſcopi ut ea, qua decet modeſtia, & honeſtate fiant, omneſque ritus, actiones, & uerba quæ nullo modo deceant, caueri curabunt. Sancta enim res eſt matrimonium, & ſancte tractandum.

De Inuocatione, Veneratione & Reliquiis ſanctorum, et ſacris imaginibus, et de miraculis

Cap. i.

CVM nō parū honoris Deo impēdant, qui ſanctorum ad eius miſericordiā conſequēdā implorāt auxilium, ipſe enim ſic eos glorioſos effecit, ut à nobis inuocari & uenerari iure debeāt, iccirco eorum interceſſionē, inuocationem, reliquiarum honorem, & legitimū imaginū uſum Eccleſia ſemper tenuit, Sanctorū Patrū cōſenſu probauit, & ſacrorū Cōciliorū Decreta firmarunt. Neq; dubiū eſſe debet, ſanctorū præcibus infirmitatē mortaliū apud Deū iuuari, ac utiles eſſe ad impetrāda dona nō modo corporalia, & tēporalia, ſed ſpiritualia, & æterna, & cum nos diligant, in cœlis ſalutem, quoq; noſtrā meritis & præcibus promouere, eiſq; ueneratio

nem

nẽ,& cultum debite exhiberi. Ne tamen quid per ignorantiã, agatur, curabunt Epiſcopi diligenter, ut populus doceatur, alium eſſe cultum quo Deus, ac mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus colitur, alium quo ſanctos uenerari piè debemus: colimus enim Deum, cum agnoſcimus creatorem, conſeruatorem, bonorum largitorem, iudicem, qui ſolus perdere, & ſaluare poſſit, & cui ſoli ſacrificium offertur cordis, labiorum, & ſacroſanctæ Euchariſtiæ corporis, & ſanguinis Domini. Sanctos uerò ut noſtros apud Deum interceſſores uenerantur, quo diſcrimine uſa eſt, & utitur Eccleſia in itania, cum inuocatur Deus, & cum inuocantur ſancti. Admoneatur igitur populus, ut cum ſanctorum memorias uiſitant, & eorum auxilium implorant, ac chriſtiana conſuetudine orationem dominicam recitant, intelligant ſe, eam nõ ad ſanctos, ſed ad Deum dirigere, adiũctis ſibi interceſſoribus ſanctis, quorum meritis, & interceſſionibus, omnia noſtra bona opera gratiora Deo fore nõ ambigimus, tollaturq; abuſus, ne poſt hac nemo depingi faciat in aliquo loco prope terram, ſanctos, ad quorũ effigiẽ merire nefas eſt, ſed depingantur in ſublimioribus locis, ut ſint uenerationi, & terrori, non aũt contemptui.

Cap. ii.

SANCTORVM reliquias omni reuerẽtia uenerãdas eſſe, ẽt ſancta Synodus decernit, quæ olim uiua Chriſti membra, & templum ſpiritus ſancti fuerũt. Sed ut in iis omnis tollatur abuſus, curẽt Epiſcopi, ne quis nouas, aut igno tas reliquias populo uenerandas offerat, niſi prius ab ordinario probatæ fuerint, neque quæſtus cauſa aut temere exponãtur omnium oculis, neque ex receptaculis ubi conditæ ſunt, educantur, ſed in locis honeſtiſſimis, ac decoris uaſculis omni qua debent religione aſſeruentur, ut cum populo erunt oſtendendæ, aut in proceſſionibus circunferẽdæ, id luminibus accenſis, ac debita cum ſolemnitate fiat.

F 2 Imagines

Cap. iii.

IMAGINES Chriſti,& ſanctorum,in tẽplis, & aliis honeſtis locis haberi,eiſque reuerentiam per genuflexionẽ, & alios honeſtos corporis motus exhiberi,ſancta mater Eccleſia ſemper docuit,uniuerſalis ſynodus ſeptima tradidit, & ſacrum tridentinum Concilium confirmauit: ſed ne quid agatur,quòd ad hanc rem pertinet, inordinatum, nihil profanum appareat,nihilque in honeſtum,ſancta hæc ſynodus cõſtituit, ut tanta circa hæc diligentia & cura ab Epiſcopis habeatur,ut nouæ & inſolitæ imagines in loco ponantur,niſi ab Epiſcopo approbatæ fuerint,& ſi quæ in hac noſtra prouincia erectæ inueniantur,quæ riſum,aut turpes cogitationes potius quàm deuotionem,& quid quam quod non deceat, præſeferant,tolli eas,aut mutari omnino procurent,omniſque ſuperſtitio in ſanctorum inuocatione,reliquiarum ueneratione, & imaginum ſacro uſu tollatur, omnis turpis quæſtus eliminetur,& omnis deniq́ue laſciuia uitetur,ita ut procaci uenuſtate imagines non pingantur,nec ornentur;doceaturq́ue populus,nullum cultum imagini deberi propter materiam aut elegantiam,aut pretium operis, aut artificum, ſed propter rem ſignificatam,& ut fidelium mentes per earum inſpectiones excitentur ad reuerentiam, & honorem exhibendum iis, quorum ſunt imagines.

Cap. iiii.

NVLLA poſt hac noua miracula ſine iudicio Eccleſiæ per Epiſcopum declarata,& ſacri Concilii Tridẽtini prius de miraculis ſeruato Decreto,auctoritatẽ habeant,neque admittantur,ne humani generis hoſtis præſtigiæ,aut hominum impoſturæ,ad contumeliam diuini nominis pro miraculis habeantur.

De

De Purgatorio.

Cap. i.

SANCTA hæc Prouincialis ſynodus præcepit, ut ſanã de Purgatorio doctrinam à ſanctis Patribus,& ſacris Cõciliis traditam,& maxime à tridentino Concilio definitam, à Chriſti fidelibus credi,teneri,doceri, & prædicari diligenter Epiſcopi ſtudeant, ſcilicet eſſe locum deſtinatum earum animarum purgationi,quæ ex hoc ſeculo migrãt nõ planè purgatæ,neque ab omnibus pœnis debitis penitus abſolutæ,eaſq; animas precibus,eleemoſynis,& ſacroſanctæ Euchariſtiæ Corporis Chriſti ſacrificio , & Eccleſiaſticis indulgẽtiis pro benignitate diuinæ clementiæ adiuuari, minime eſſe dubitandum. Difficiliores quæſtiones ſecludantur,in certa euulgari,& tractari non permittant,& quæ ad curioſitatem,ſuperſtitionem,uel turpe lucrum ſpectant,prohibeant.

Cap. ii.

FIDELIVM uiuorum ſuffragia,miſſarum,ſcilicet ſacrificia,orationes, eleemoſynæ,aliaque pietatis opera, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri cõſueuerunt,ſecundum Eccleſiæ inſtituta piè & deuotè fiãt, & quæ pro illis ex teſtatorum fundationibus,uel alia ratione debentur,non perfunctorie,ſed à ſacerdotibus, & Eccleſiæ miniſtris & ab illis, qui hoc præſtare tenentur, diligenter & accuratè Epiſcopi perſolui curent.

De indulgentiis,& quæſtoribus eleemoſynarum.

Cap. i.

INDVLGENTIARVM uſum Chriſtiano populo, maxime ſalutarem, & ſacrorum Conciliorum auctoritate probatum, quo ſancta eccleſia poteſtate à Chriſto

Chriſto diuinitus ſibi tradita antiquiſſimis etiam temporibus uſa eſt,& quæ de hac re à Sacro Concilio Tridentino cõſtituta ſunt,Epiſcopi omnes obſeruari faciant, nec indulgentias ullas præſertim nouas,& ignotas publicari, aut populo commendari permittant,niſi prius ab ipſis uiſitatæ fuerint, & probatæ:abuſus uero ſuæ Eccleſiæ quiſq; Epiſcopus colligat, eoſque in prima alia ſynodo Prouinciali referat,ut Epiſcoporum ſententia cogniti,ad ſummum Romanum Põtificem deferantur,cuius auctoritate quod expediet,ſtatuatur,& munus indulgentiarum incorruptè fidelibus diſpenſetur.

Cap. ii.

CVM eodem Sacro Cõcilio Tridentino ſtatutum ſit, ut nomen,& uſus Quæſtorum aboleatur, nec ad huiuſmodi officium exercẽdum nullatenus aliquis admittatur:Indulgentias uerò aut alias ſpeciales gratias quibus non ideo Chriſti fideles decet priuari, per ordinarios locorũ populo publicandas,ſiue mittendas eſſe decreuit; Sancta hæc Synodus præcipit,ut indulgentiæ iuxta ipſius Concilii Decretum,populo publicentur,& commendentur, nec ullus Quæſtoribus,& indulgentiarum conductoribus relinquatur uſus.

De delectu ciborum, ieiuniis, et diebus feſtis.

Cap. i.

IEIVNIA indicta à Sancta Romana Eccleſia omniũ Eccleſiarum matre,& magiſtra, ab omnibus competentem ætatem habentibus, & ſine corporalis ſanitatis diminutione ualẽtibus,quorum iudicium Epiſcopo relinquimus,obſeruari ſancta Synodus præcipit,hortaturq; omnes Epiſcopos,ut omnem adhibeant diligentiam, ut quæ ad domandam

mãdam carnem conducunt,præſertim delectum ciborum,& ieiunium,fideles omnes amplectantur,& dum caro ab alimentis abſtinet,mens pariter à culpa ieiunet,aliiſque piis officiis occupentur,in quibus uigiliis carnibus,ouis,caſeo, cæteriſq; lacticiniis non utantur,& in primis à uitiis abſtineant:hoc.n. magnum,& generale eſt ieiunium.

Cap. ii.

CVM in hac Prouincia ne dum dominicus dies,uerũ & alia Chriſti,beatæ Virginis,& Sãctorum feſta,quæ Sancta Romana Eccleſia ad pietatem augendam celebranda nobis propoſuit,non eo quo decet,cultu,& reuerentia obſeruari uideantur,maximam in eo diligentiam, ac ſtudium Epiſcopi ponere debent,ut eorum cultus, atque obſeruantia omnino reſtituatur,dieſque feſti pie, Sancteque cũ omni ueneratione obſeruẽtur ab omnibus,in quibus populi erudiantur Eccleſias frequentare, miſſarum ſolemniis interreſſe teneri,nec diſcedere niſi accepta benedictiõe, & in præcipuis ſolemnitatibus Veſperas audire.Orationibus inſtare,prædicationibus uacare,& ab omni opere ſeruili,& manuali, ac illicito,niſi neceſſitas,uel pietas urgeat,qua deducta,& cognita ab Epiſcopo licentiam gratis habeant,abſtinere.Nundinas ceſſare,ludos turpes,& à iure uetitos obnixè remoueri, nec officinas apertas haberi,nec quid in eis ematur,aut uendatur,præter id quod ad uictum illius diei, & poſt miſſarum ſolemnia, uel ad ægrotorum curationem neceſſarium erit, & in iis diebus ioculatores,hiſtriones,comœdiarũq; recitationes nullomodo permittantur. Quod ſi ſecus fecerint, ſeuere arbitrio Epiſcopi plectantur,aliis pœnis circa obſeruantiam feſtorum per canones,& Synodales conſtitutiones impoſitis in ſuo robore permanentibus,& ne de prædictis ignorantia ab aliquo prætendi ualeat,præcipit ſancta Synodus ut Epiſcopi Decretum iſtud ſaltem ſingulo menſe in Eccleſiis ſuæ Diœceſis inter miſſarum ſolemnia populo publicari non prætermittant.

Decreta Prouincialis

De Sepulturis et exequiis mortuorum.

Cap. i.

PIISSIMVM eſt, ut fidelium corpora in Cœmiterii & eccleſiæ ſinum recondantur. Sed non eſt ferenda noſtri temporis ambitioſa arrogantia, ut putrida cadauera in excelſo & ornato loco in eccleſiis collocentur. Agant igitur Epiſcopi, ne ulla deinceps eo modo ſepeliantur, quæ ſepulta ſunt ad duos menſes quo ad fieri poteſt, amoueantur, ac humidentur, niſi marmorea, aut ærea ſint, ita ut ſepulchrum è ſolo non emineat.

Cap. ii.

COEMITERIVM in honore habeatur, terra Sancta eſt, & ideo occluſum, à quibuſcunque immunditiis purgatum, & mundum teneatur, & morem multis locis intermiſſum mortuos in Cœmiteriis ſepeliendi reſtituendum curent: multa enim Sanctorum corpora in Cœmiteriis condita eſſe Sancta teſtatur hiſtoria.

*Cap. iii.

PRO Sepulturis, pro hominibus ſeppeliendis, & anniuerſariis nihil petere, nihil exigere uelut debitum, uel paciſci liceat, ſed ut laudabiles piæque in his ſeruẽtur conſuetudines. Epiſcopi curam habeant, & legata pia per defunctos, & quæ eleemoſynæ cauſa ultro data fuerint, accipi nõ prohibemus. Si Verò defunctorum hæredes religioſum exequiarum inſtitutum negligentes, debitas exequiis impenſas non exhibuerint, ab Epiſcopo cogantur ad ea comparanda, quæ ad honeſtum eius rei uſum iuxta facultates conuenire uidebuntur. Pauperes uerò, & miſerabiles perſonæ quibus nihil

* Laudat in synodo dioces. Gallipoli: an: 1661. Tit: XX. cap: IV.

hil aut parum ſupereſt, impenſa Eccleſiarum ordinarii iudicio ſepeliantur.

Cap. iiii.

OMNES clerici qui ad exequias, aut funeralia, aut defunctorum anniuerſaria acceſſerint, induti ſint ſuperpelliceis, nec recedãt, niſi finito ſepulture officio & cum ad alienas Eccleſias mortuos aſſociari contigerit, cum cruce erecta, & proceſſionaliter omnes ad proprias Eccleſias reuertantur. Qui contrafecerint, diſtributionem non habeãt.

Cap. v.

AD tollendos abuſus, qui in hac Prouincia maxime uigent, curent Epiſcopi ſub pœnis, ne cadauera defunctorum ad Eccleſiam deferantur cum comitatu mulierum condolentium, & ululantium, ne diuina officia impediantur, & omnino prohibeatur, ne tranſactis certis diebus ad ſepulturæ locum conuenientes, eoſdem clamores, gẽtiliũ more reuocent, & quód omnino prohibeatur ſuperſtitio illa claudendi, & aperiendi portas domus, tempore funeris.

Cap. vi.

IN ſingulis Parochiis, communibus eorum ſumptibus qui ſunt in Parochia, procurent Epiſcopi, & Rectores Eccleſiarum, ut comparetur pallium, quod mortuo imponi ſolet, idque omnibus in funere gratis poſtea accommodetur.

De examine et inquiſitione in promouendis ad Cathedrales, et Parochiales Eccleſias.

Cap. i.

VT populus bonum à Deo paſtorem ualeat impetrare, & quem ipſe uocauerit, & emiſerit, ſupplicationes, ac preces publice, & priuatim per Ciuitatem, & diœceſim Cathedrali Eccleſia uacante habeantur. Formam autem examinis, & inquiſitionis pro aſſumendis ad ipſas Cathedrales Eccleſias de uita, moribus, doctrina, natalibus, ac aliis omnibus qualitatibus quæ iuxta Sacros canones, & Tridentinæ Synodi Decreta requiruntur, hæc Prouincialis Synodus nõ aliam agnoſcit, quàm eadem Tridentina Synodus præſcripſerit, & Sanctiſſimus Dominus noſter, arbitrio, & iudicio ſuo cõprobauerit, cuius proprium eſt, cuncta pro ſua uirtute, prudentia, ſcientia, & ſanctitate diſponere. Quòd ſi forte mandato à Summo Pontifice accepto, examen de aliquo ad cathedralem Eccleſiam promouendo in hac Prouincia faciendũ erit, ſtatuit, ut poſtquam examen ipſum iuxta formam per ſanctitatem ſuam tranſmitti ſolitam cum fidei profeſſione factũ fuerit, denuncietur per edictum in ualuis Eccleſiæ maioris patere aditum omnibu, squi impedimentũ, aut uitium aliquod in promouendo nouerint, & ſi quid delatum fuerit, unà cum proceſſu per examen prius facto, ad Sanctiſſimum Romanum Pontificẽ tranſmittatur, qui Eccleſiæ poſſit utilius prouidere.

Cap. ii.

TRIDENTINA uniuerſalis Synodus, ſciens quàm maximum periculum in animarum cura exercenda uerſetur, formam, qua diligentius, & rectius dignĩ, & idonei Parochialibus Eccleſiis præfui poſſint, diligenter præſcripſit, quam ut obſeruari curent Epiſcopi, Prouincialis hæc

Synodus

Synodus ſtatuit,nec aliã melius agnoſcit:præcipitque ut accurate qualitatibus Eccleſiarum,perſonarum,& locorum conſideratis,pro eorum recta conſcientia de idoneis Parochis prouideant,non diffidens eos omnia ita pie prudenter, & ſanctè diſpoſituros,ut quæ in Decreto Tridentino ſancita ſunt, accurate obſeruentur.

De reſidentia Epiſcoporum, et eorum officio,et uita.

Cap. i.

CVM Epiſcopi prælucere reliquis doctrina,& uita,uigilantia tutari greges ſuos,& pericula omnia ſpeculari,& auertere,& patris,& paſtoris officio fungi debeant, Sanctum Tridentinum Concilium grauiſſimo Decreto mandat,ut in Diœceſi ſua quiſq; reſideat, nec diutius quàm per trimeſtre ab ea ſit abſens,niſi cũ chriſtiana charitas, debita obedientia,& urgens neceſſitas eum abeſſe poſtulent, cui hæc Sancta Prouincialis Synodus inhærendo ſtatuit, & ordinauit,nulli Epiſcopi licere extra Diœceſim ſuam morari, niſi cauſis,& pro tempore ab eodem Cõcilio Tridentino præſcriptis,& ſub pœnis in eo contentis. Quòd ſi abeſſe à ſua Eccleſia contigerit,non aliter liceat quàm ſeruata prius forma à Sacro Concilio Tridentino præſcripta,& det operam, ne id fiat, aduentus,& quadrageſimæ tempore,nec diebus feſtis ſolemnibus,quibus maxime cõuenit,Epiſcopum miniſterium obire ſuum in Eccleſia,cui antequàm diſcedat,ita prouideat, ut nullum quoad fieri poterit, damnum patiatur.

Cap. ii.

RESIDENTIA Epiſcoporum non ſit ocioſa, ſed inter alia præcipue gregem ſibi commiſſum uerbo paſcant,& exemplo.Munera Pontificalia per ſe, niſi

legitime impediti, exequantur: doceant, prædicent, ſacrificiũ offerant, ſacramenta miniſtrent: quorum uim atque uſum explicent: Hoſpitalitatem exerceant, & ut Hoſpitalia, & pia loca recte gubernentur, iuxta Tridentinum Concilium: & miſſæ pie, & pure celebrentur, & oneri ſuo quiſque ſatisfaciat, diligenter curabũt, & diœceſim ſuam ſingulis annis per ſe ipſos pro uiribus, aut iuſta cauſa impediti, per ſuum Vicarium uiſitare procurent, ne dominicas oues ſibi commiſſas, de manu ſua cum uindicta ab eis requirat omnipotens.

Cap. iii.

CVM ad ſubditorum reformationem neceſſaria inprimis uideatur eſſe Epiſcoporum, & aliorum qui præſunt, uitæ emendatio, & morum ſplendor, curent Epiſcopi, non ſolum eſſe abſque crimine, & irrepræhẽſibiles, ſed modeſtè, caſtè, & ſobriè uiuere, modeſta ſupellectile, ueſtitu, menſa, ac frugali uictu uti, ſcripturarum ſanctarum lectionem eorum menſis admiſcere, & illas antequam comedant, benedicere, & poſt refectionem Deo gratias agere, diuinis officiis frequenter intereſſe, & miſſarum ſacrificia non rarò offerre, bono exemplo oues ſuas paſcere, familiam ſuam inſtruere, & erudire, ſubditos ſuos uti filios, & fratres docere, & eorũ uitia charitate non auſteritate corrigere, nihilque ab eorum dignitate alienum committãt, aut patiantur, ſed abſtineant ab omnibus, quæ Epiſcopalis miniſterii dignitatẽ obſcurare poſſint, & omnia ſeruent, quæ illis ſacra Tridentina Synodus, ea de re, grauiſſimo Decreto præcepit.

Cap. iiii.

PROVIDEANT Epiſcopi ut Rectoribus, & presbyteris conſulatur, ne dum bene præſunt, & recte ſuo funguntur munere, laborent ægeſtate, efficiantq; ut eis ſit

ſatis

Digitized by Google

ſatis ad uitam commode ſuſtinendam,populumq́;admoneãt cum ex ſacramentis nefas ſit aliquid exigere, ut ex decimis congrua eis aſſignetur portio,uel contributione,& alia ratione quæcunq́; commodior inueniri poterit proſpiciatur.

Cap. V.

IN uniuerſa Diœceſi præter officium quod curati præſtabunt,tam multos Epiſcopi diſtribuant concionatores, ut in locis frequentioribus, & quibus ipſi oportunum iudicauerint,intra unius menſis ſpatium ſaltem ſemel aliquo die feſto,uerbum Dei prædicetur.

Cap. VI.

ADHIBEANT etiam Epiſcopi omnem operam ſuam ad inſtituenda loca pia publica,quæ mõtes pietatis appellantur in ſingulis Ciuitatibus,& inſignioribus oppidis,unde mutuas pecunias datis pignoribus,pauperes poſſint accipere,& quæ iam conſtituta ſunt,fideliter adminiſtrentur,nec in eis quicquam præter ſortem,niſi pro miniſtris,& aliis neceſſariis ſumptibus accipiatur, quod Epiſcopi declarabunt,cum ſi per bonos uiros gubernentur, ex depoſitis diuitum facile conſeruari poterunt.

Cap. VII.

QVANTA maxima poſſunt diligentia obſeruent ſibi commendatum gregem, & quia propriis oculis omnia luſtrare nequeunt,in ſingulis Parochiis deligant certos,& probatos uiros, qui quod corrigi, & emendari debeat,fideliter ad ipſos deferant.

Cap. VIII.

QVI in carcere tenẽtur,eos uiſitandos ſemel in hebdomada Epiſcopi curent, & ne quid iniquius fiat, pro-

prouideant, ſed in eos pietatis opera exerceant.

Cap. ix.

LAYCI qui per uicos, & plateas de Sacerdotibus, religioſis, de Prælatis, aut de Eccleſiaſticis conſtitutionibus, Conciliis, excommunicationibus, indulgentiis, & aliis huiuſmodi obloquuntur, habeantur poſt hac uehementer ſuſpecti de fide, & contra eos rigide procedant, ſicut ipſis expedire uidebitur.

Cap. x.

CVRENT Epiſcopi ipſi, lites, quæ in ſuo foro tractantur, amicabiliter componere, quòd ſi partes noluerint, ut iuſtitia recte, & rite adminiſtretur, prouideant.

Cap. xi.

LICENTIA illa, qua multi in illis diebus ante Quadrageſimam nimium utuntur, ex quo magnum ſcandalum oritur etiam apud infideles, qui talia à nobis fieri uident, curent Epiſcopi omni qua poterunt diligentia, ut ſi planè nō tollatur, ſaltem reprimatur, præſertim in Eccleſiaſticis perſonis.

Cap. xii.

TRIDENTINI demum Concilii omnia, & ſingula Decreta tam ipſi obſeruent, quàm ab omnibus aliis ſibi ſubiectis obſeruari faciant, ex quibus catholica doctrina, correctio, & reformatio populi Chriſtiani pendent.

De

De Reſidentia curatorum et eorum officio et uita, et de obedientia curatis a presbyteris exhibenda.

Cap. i.

RECTORES curam animarum habentes, cum ſuo grege uiuant, niſi forte abſint legitima cauſa Epiſcopo probata, quæ duorum menſium ſpatium non excedat, ac Tridentini Concilii Decreta de eorum reſidẽtia ſub pœnis in eo contentis obſeruent, quibus ſancta hæc Synodus præcipit, ut intra duos menſes proximos in ſuis Parochialibus Eccleſiis reſideant, aut illis renuntient, & ſi obſtinati fuerint, Epiſcopi officii ſui memores, poſt dictum temporis ſpatium, curabunt iuris remedia adhibere, & deſertas Eccleſias tanquam uacantes benemeritis aſſignare. Quod ſi beneficia curata non ſint, ut canonicatus, dignitates, & alia quæ tamen de iure uel conſuetudine reſidentiam requirant, ſi illa obtinentes muneri ſuo defecerint, in eos Epiſcopi, illis pœnis quæ à Sacro Tridentino Concilio ſtatutæ ſunt, agant: qui uerò duas Parochiales Eccleſias retinentes, intra tempus ab eodem ſacro Tridentino Concilio præſtitutum non dimiſerint, dictis Parochialibus Eccleſiis, & aliis quibuſcunque beneficiis per eos obtentis, iuxta decretum Concilii Tridentini ipſo iure priuati eſſe, & illa uacare cenſeatur.

Cap. ij.

ET quia non modo præſentia, ſed officio ac miniſterio reſidere debent in ſuis Eccleſiis, quantum liceat per ſe muneri ſuo ſatisfaciant, doceant, & miniſteria ſua ad impleant, omnemque diligentiam adhibeãt ut uſum, ac uim Sacra-

ſacramentorum iuxta formam in catechiſmo nuper iuſſu Sanctiſſimi Domini noſtri Pii Quinti ædito præſcriptā explicēt, & ſi opus fuerit, lingua uernacula exponant, nec ſerant quem quā in ſuis Eccleſiis cōcionari ſine licentia ipſius ordinarii

Cap. iii.

PAROCHIALIVM Eccleſiarum Rectores diligenter animaduertant, an in ſuis Parochiis ullus ſit, quòd ad fidem attinet, prauis opinionibus imbutus, uel eo nomine ſuſpectus, eumq́ue ad Epiſcopum, uel eius generalē Vicarium deferant, moneantq́ue populum, debere omnes ſtatim referre ſi quos nouerint aliquid dixiſſe, uel feciſſe, quamobrē de huiuſmodi peccato ī probabilē ſuſpitionē uenerint.

Cap. iiii.

LIBRVM habeant, in quo quoad fieri poterit, nomina, & cognomina omnium qui in ſuis Parochiis ſunt, deſcribant, recēter natos, mortuos, & inde migrātes, & obſeruēt ſuæ Parochiæ inquilinos, de eorum fide, uita, arte, & profeſſione, & ſacramētorum perceptione, deq́ue mulieribus quas ſecum habuerint, an coniunctæ an impudicitiæ nomine ſuſpectæ ſint.

Cap. v.

INQVIRANT etiā de pauperibus ſuæ Parochiæ, præſertim de puellis nubilibus, de uiduis, orphanis, pupillis, ægrotis, aliiſq́ue perſonis indigentibus, quibus opitulari ſtudeant, & de iis omnibus ſæpe certiorem faciant Epiſcopū.

Cap. vi.

PRESBYTERI, & curam animarū habentes, tranſacta dominica in albis, nomina, & cognomina illorum ſuæ Parochiæ, qui illo anno peccata ſua confeſſi nō fuerint,

rint,& ſacram Euchariſtiam non ſumpſerint, in termino octo dierum, ſuo ordinario tranſmittant, ut contra eos procedi poſſit, aliàs grauiter punientur.

Cap. vii.

MONEANT Parochianos ſuos, quòd ſi contigerit eos infirmari, prius ſpiritualem quàm corporalem medicinam accipiant, memores, quòd infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato prouenit, & pænitentia uera aboletur, & certiores facti de infirmitate alicuius, Parochiani eum uiſitent, atque confortent, admonentes eos, infirmitatem ſibi datam ad Dei gloriam pro emendatione uitæ præteritæ, & pro medicina animæ.

Cap. viii.

ALIENIS Parochianis ſciēter ex niſi urgente neceſsitate uel de licētia ordinariorū, aut proprii Parochi, Eccleſiaſtica ſacramēta adminiſtrare nō præſumant.

Cap. ix,

PAROCHI attentiſsime inuigilent, ne iurgia, & diſcordiæ naſcantur in ſua Parochia, & quæ acciderint ſumma debent diligētia curare, ut ſopiantur, & ſi opus fuerit, uiros probos adhibeant. Quòd ſi hoc non proderit, ad notitiam ſui Epiſcopi deducant,

Cap. x.

HORTATVR demum in Domino Sancta Synodus Parochos omnes, ut in omnibus ſe præbeant exemplum bonorum operum, in caſtitate, ſobrietate, morum grauitate, atque omni honeſtate, ut erubeſcant ad-

omnibus neceſſaria ſunt ad ſalutem, de articulis fidei, & præceptis Decalogi, & Eccleſiæ, & quæ declinare, & ſectari debeant, & ſi opus fuerit, lingua uernacula exponāt, præcipue pueros ſingulos in ſuis Parochiis initia fidei doceant. Vbi uero per Quadrageſimam prædicatores regulares conduci conſuerunt, eo tempore Parochi quieſcere poterunt. Quòd ſi ad hoc minus ipſi fuerint idonei, ex præſcripto Sacri Tridentini Concilii, alii ab ordinario deputentur, qui prædicationis munus exerceant.

Cap. III.

PRAEDICATORES diuini uerbi ſacram ſcripturam iuxta ſenſum quem catholica Eccleſia, & conſentiens ſanctorum Patrum auctoritas comprobauit, explicent: & quoniam cuius uita deſpicitur, reſtat ut eius prædicatio facile contemnatur, eos hortamur, & in domino præcipimus, ut prius compoſitis moribus, ac ſanctis exemplis, tum ſanam, ſanctam, & fidei chriſtianæ adhærentem doctrinā prædicent; hæreticorum argumenta apud imperitam multitudinem non recitent, quæ potius graui redargutione, quàm longa diſputatione confutent. Spirituales aut temporales dominos, ſiue eorum magiſtratus, & officiales modeſte, ac piè admoneant, non acerbius obiurgent: in peccatis, & uitiis repræhendendis diligenter ſe habeant: ad particularia tamen ne deſcendant: ambiguum nequid loquantur, non ridiculas fabulas, non apochryphas hiſtorias recenſeant, ſed omnis ipſorū ſcopus ſit, ex ſacris literis uitiorum repræhendēdorū occaſiones inuenire, & præcipue in id incumbant, ut audientes ſæpe moneantur peccata ſua flere, pænitentiam agere, dies feſtos, & ieiunia ſeruare, orationibus inſtare, eleemoſynas, & alia pietatis opera facere, quæ Chriſti fideles decent.

Digitized by Google

Cap. iiii.

EPISCOPI in ſuis Eccleſiis ſacris concionibus quantum poterunt intereſſe ſtudebunt, cum legitime impediti, prædicandi munus per alios præſtabunt, ut ipſorũ exemplo layci ad audiẽdum uerbum Dei ſtudioſius cõfluãt, & diebus feſtis: præcipue autem tempore Quadrageſimæ, dũ ſermo ad populum habetur, curẽt ut omnia negotia ceſſent, & apothecæ omnes claudantur, ſub pœna eorum arbitrio imponenda.

Cap. v.

IN Eccleſiis autem in quibus nulla fuerit locorum diſtinctio, qua mulieres commode à uiris ſeiungi queant, præcipimus, ut pannus ſeu uelum aliquod aptetur, ut interſtitio quodam à mulieribus uiri ſeiungantur, atque attentius prædicationi incumbant.

Cap. vi.

NOCTVRNAS prædicationes præſertim paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, propter multa incõuenientia quæ oriri ſolent, Epiſcopi prohibeant, & niſi iuſta, & graui cauſa ab eis approbanda, non permittant.

De Excommunicatione.

Cap. i.

NIHIL eſt Chriſtiano magis timẽdum quàm à corporis Chriſti communione ſeparari, cum nulla maior pœna ſit in ſancta Eccleſia excommunicatione,

gladius

Digitized by Google

gladius enim Domini eſt;ſed dũ ſatis leuibus de cauſis in hac noſtra Prouincia, & ſententia fertur excommunicationis, & quæ lata eſt facile reuocatur,& reſcinditur,omnis Eccleſiæ diſciplina,& cenſura contemnitur. Quare Decretis Concilii ſacri generalis Tridentini hæc ſancta Synodus inhærens,prohibet omnibus,& ſingulis iudicibus Eccleſiaſticis,ne leuiter huiuſmodi gladio feriant, nec ex uulgari cauſa,ſed magna cum circumſpectione utantur,& aliis ubicunque fieri poterit, tam in procedendo ac definiendo,quàm exequendo,& tam in ciuilibus quàm in criminalibus,iuris utantur remediis,niſi pro grauioribus delictis, & cauſis magni momẽti per Epiſcopum cognitis,& diligenter examinatis,quæ eius animum moueãt, perſonæ,rei,& loci qualitate,magna cum maturitate penſata.

Cap. ii.

IVRI diuino nedum ſacris repugnat canonibus,quod iudices layci quibus Eccleſiaſticarum rerum diſpoſitio nullo iure permittitur in hac Prouincia,non raro prohibeãt, mandentque iudicibus Eccleſiaſticis ne excommunicatum à iure declarent,& denuncient, aut nequem excommunicent uel ut latã excõmunicationis ſententiã reuocẽt. Quare ſancta hæc Synodus obſecrat,& obteſtatur in domino ſereniſſimum & inuictiſsimũ Regẽ Catholicũ,eiuſque illuſtriſſimum,& excellentiſſimum Proregem,alios minores magiſtratus,& utiles dominos,ut ab huiuſmodi prohibitionibus,& mandatis abſtineant,(meſſis enim Domini ſancta eſt, nec propria cuiuſque falce reſecauda)& ſi,quod abſit, aliquis iudex Eccleſiaſticus ſua poteſtate abutetur,id ad ſuperiores eius Eccleſiaſticos referant:& ſtatuit ſupplicandum eſſe Sanctiſſimo Domino noſtro,ut pro ſua poteſtate,& iuſtitia, huic rei aliquod opportunum adhibeat remedium.

Hortatur

Digitized by Google

Cap. iii.

HORTATVR Sancta Synodus omnes comprouinciales Epiſcopos, ut Rectores curam animarum habentes, Parochianos ſuos frequenter admoneāt, ut timeant excommunicationem Paſtoris, qua in Eccleſia Dei nulla maior pœna reperitur: cum excommunicati maiori ſcilicet excommunicatione, non ſolum à legitimis actibus ſuſpēdantur, uerum etiam ſanctæ Eccleſiæ ſuffragiis, & immunitatibus cæteris, quibus Chriſti fideles potiuntur, dum in excommunicatione perſiſtunt, ipſi priuentur, iccirco eam cum omni timore, & reuerentia diligenter obſeruent, & quantum in eis eſt, faciant obſeruari.

Cap. iiii.

PVBLICE excommunicati in Eccleſiis Cathedralibus, & aliis, in tabella denuncientur, & declarentur, & diuinorum tempore ab eis expellantur, & Rectores, & Parochi deferant ſuis Epiſcopis, omnes qui per annum, aut amplius in excommunicationis ſententia perſtiterint: deferant etiam publice uſurarios, concubinarios, adulteros, hæreticos, aut de hæreſi ſuſpectos, & in notoriis criminibus perſeuerantes, alioquin grauiter punientur.

Cap. v.

MAGISTRI actorum pro ſcriptura monitionum, & ſententia excommunicationis quinque grana tātum pro eorum labore exigant. Archipresbyteri uerò, ſacriſtæ, & alii qui monitiones, & ſententiam excommunicationis publicare ſolent, etiam pro pulſatione campanarum, grana decē habeant, & pro ſigillo nihil ſoluatur. Vbi uero fuerit

rit

rit conſuetudo minus,uel nihil ſoluendi,conſuetudo ipſa ſeruetur,contra facientes Epiſcopi grauiter puniant.

De uiſitatione.

Cap. I.

VT melius Epiſcopi poſſint,quæ ad eorũ curã pertinẽt, diligenter cognoſcere,ſacri Cõcilii Tridentini Decreto Diœceſim propriam ſingulis annis perſe ipſos,aut iuſta cauſa impediti,per ſuum Vicarium,aut uiſitatorem uiſitare procurẽt,cuius uiſitationis præcipuus ſcopus ſit, ſanam, ortodoxamq́ue doctrinam,expulſis hæreſibus inducere, bonos mores tueri,prauos corrigere,populum cohortationibus & admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamq́ue accendere,cognoſcant de fide,uitæ.ſanctimonia, & moribus, de cõuerſatione,& obſeruatione huius Synodi Prouincialis. De cuſtodia,& cultu Sanctiſsimæ Euchariſtiæ Sacramẽti. De fonte baptiſmatis. de ſacriſtia, & eius ſupellectili, quomodo diuina officia celebrentur,& defunctorum uoluntates executioni mandentur. de hoſpitalibus. de ludi magiſtris. de hæreticis,uſurariis,blaſphematoribus,concubinariis,luſoribus, & inimicitias gerentibus. De bonis Eccleſiarum, de habitu, tonſura,& aliis eſternis huiuſmodi.Sed præcipue quàm recte & diligenter Paſtores, & Rectores Eccleſiarum munera ſua obeant,docendo,& ſacramenta miniſtrando,cæteraq́ue prout locus,tempus,& occaſio feret,ex uiſitantium prudentia ad fidelium fructum conſtituere.Poſtremo caueant, ne quos uiſitant inutili ſumptu grauent:Sintq́ue honeſto,& frugali uictu tantenti, obſeruantes quidquid ſacri Tridentini Concilii Decreto de ea re præſcriptum eſt.

De

Decreta Prouincialis

De Collatione, & inſtitutione beneficiorum.

Cap. i.

SACRIS canonibus, & Tridentini Concilii ſalutaribus Decretis ſancta Synodus inhærens, Epiſcopis præcipit, ut in conferendis beneficiis, ne quidquam eius rei gratia ab aliquo, cui Eccleſiaſticum beneficium quauis ratione tribuitur, accipiant: non priuatæ amicitiæ, non fauoribus, non iniquitati, nec ſanguini ſeruiant, nec familiaribus ſuis tamquam ſuæ operæ, & laboris prætium illa proponant, ſed pro Dei gloria dignos admittant, & excludant indignos, & inter bonos meliores, & inter dignos digniores tamquam fideles diſpenſatores diſcernant.

Cap. ii.

PRAESENTATVS à quibus uis perſonis tam Eccleſiaſticis, quàm laycis, antequam ab Epiſcopo inſtituatur, iurare teneatur, quòd propter prædictum beneficium obtinendum, aut præſentationem ad idem habendum aut acquirendum, neque ipſe, neque alia perſona uice ac nomine ſuo, nec de conſenſu, aut ſciẽtia ſua, patrono ſeu alii cuiquam aliquid præmiſſorũ nomine, aut intuitu promiſit, aut dedit, nec quidquam eius rei gratia permutauit, compẽſauit, aut prius datum confirmauit, ſed omnia libere proceſſiſſe abſque ullo pacto & illicita conditione.

Quod

Digitized by Google

Quod beneficiati promoueantur ad ordines ſacros.

Cap. i.

QVI ad regimen Parochialium, & aliarum Eccleſiarũ, & beneficiorum, dignitatum, & perſonatuum ſunt aſſumpti, iuxta ſacros canones infra anni ſpatium ad ſacerdotiũ ſe promoueri facere tenentur. ex Decreto ſacri Cõcilii Tridentini ſtatuit hæ ſancta Synodus, & mandat, quòd Epiſcopi inuigilent, ut omnes & ſinguli clerici ſuæ Diœceſis beneficia curata, ſeu alios ſacros ordines requirentia habentes, ſub eorundem beneficiorum priuationis pœna, ſe infra anni ſpatium ad gradum ſacerdotii, uel ad eos ordines quos eorum beneficia exigunt, & requirunt, promoueri faciant. Diſpenſationes autem canonicas ſiquas habuerint, infra primũ dicti anni menſem, oſtendere teneantur.

De Conficiendo inuentario bonorum eccleſiarum.

Cap. i.

NE Eccleſiarum bona ex eorum qui præſunt, negligentia, uel malitia in hac prouincia depereant, ſancta hæc Synodus ſtatuit, & præcipit, quòd infra ſpatiũ unius anni à fine præſentis Concilii, Archiepiſcopus, Epiſcopi, Archipresbyteri, Archidiaconi, Decani, Rectores Eccleſiarum & alii quæuis Eccleſiaſtica beneficia, ſeu pia loca obtinentes, per publicum notarium, & coram fide dignis teſtibus conficiant inuẽtarium omnium bonorum mobilium, immobilium,

iurium,actionum,ac nominum, ſeu debitorum ad Eccleſias, ſeu pia loca quæ obtinent,aut regunt quouis modo pertinentium,cum eorum qualitatibus, & confinibus, quod quidem inuentarium ſingulo quinquenniuo renouetur, & quoties in eadem Eccleſia,ſeu pio loco aliquis ſuccedit,expenſis obtinẽtium beneficia fiat,& ordinarii poſtea in uiſitatione diligenter inquirent,an eorum quæ in inuentario deſcripta ſunt, aliquid deſit, & culpam, ſeu negligentiam cuiuſlibet in hac re, iuxta canonicas ſanctiones ſeuere puniant. Quo facto inuentario,illius apud ſe uno exemplo autentico relicto,alterum infra unum menſem officio ſui ordinarii preſentare teneatur,ut in unolibro ſpecialiter ad hũc uſum deſtinato, tranſcribi poſſit,& ad perpetuam rei memoriam conſeruari.

De eccleſiis, et earum cultu.

Cap. i.

CVM multæ Eccleſiæ in hac prouincia uetuſtate corruerint,& de formatæ ſint,agendum eſt, ut reſtituantur,& reparentur: eapropter Epiſcopi reædificandas, cooperiendas,claudendas,& cum reuerentia tendas pro uiribus curent. Quòd ſi illarum paupertas id minime patiatur, Tridentini Concilii de ea re Decretum obſeruetur, ut ſcilicet altaria in alias Eccleſias eorum iudicio transferantur.

Cap. ii.

IN Eccleſiis præſertim diuinorum officiorum, aut prædicationis tempore,nemo deambulare,negotia tractare,aut contractus facere audeat,ſciatque ſe eſſe in Templo, non in foro.Ceſſent riſus,rixæ, æpulæ, ſermones etiam ſerii dum ſacra adminiſtrantur,pro tanti ſacramenti, & loci reuerentia nec,

nec ita ſedeat,ut ſanctiſſimam Euchariſtiam à tergo habeat,& omnia profanarum rerum,præſertim cum ſuſpectis mulieribus colloquia,arceantur:dum miſſa celebratur,omnes animis ſint intenti ad ſacrificium,quod pro communi utilitate peragitur, & in eleuatione ſanctiſſimi Corporis Chriſti,omnes utrunque genuflectant, & nemo canes, accipitres, baliſtas, clopetos,cæteraque huiuſmodi in eas inferat,neque negligẽtia,aut procacitate alicuius diuinum officium turbetur, immo pauperes non in Eccleſiis ſed in earum ianuis eleemoſynas quærant.

Cap. iii.

PER noctationes, & nocturnæ uigiliæ in Eccleſia poſthac non permittantur, ſed ſub noctis horam,Eccleſiarum fores claudantur,& uaſa,ueſtes,uel alia ornamenta ſacris addicta,ad profanum uſum non accomodentur,neq; à laicis contractentur, ſed tam in Eccleſiis, quàm in priuatis oratoriis,& capellis,in locis propriis decenter conſeruentur.

Cap. iiii.

QVI in horum aliquo deliquerit, & monitus à Parocho,uel ab alio,admonitiones neglexerit, ab Eccleſia propellatur,& Epiſcopo denuncietur, ut præſentiori remedio pro ut expedire uidebitur, utatur.

De Diuino cultu, & celebratione officiorum diuinorum,de cerimoniis,et muſica.

Cap. i.

CVM per hominum negligentiam,& incuriam, multa irrepſiſſe ſancta Synodus uideat, quæ impediant, quo minus diuinus cultus rite à miniſtris peragatur:

 hæc

hæc inter alia obſeruanda ſtatuit. Et primum quia ſacro ſanctum Tridentinum Concilium Prouinciali Synodo remiſit, ut certam diuinis officiis, & Eccleſiæ miniſtris formulam pro cuiuſque prouinciæ ritu et moribus præſcriberet, attamē hæc ſancta Synodus parata eſt, illam formam qua ſancta Romana Eccleſia utitur, recipere, cū etiam breuiarium, & miſſale pro pediem in lucem dari per ſanctitatem ſuam confidat. Interim agant Epiſcopi, ut quo ad fieri poſſit, à communi Romanæ Eccleſiæ officio ne diſcedatur, & omnes inferiores Eccleſiæ diuinorum officiorum rationem dirigant ad regulam Cathedralis Eccleſiæ.

Cap. ii.

MEMINERINT Eccleſiæ miniſtri, præſertim qui dignitatibus, & honoribus anteferuntur, Deo placere non poſſe, qui ſolis labiis Deum honorant, ſi cor eorum ab ipſo procul ſit, & inter canendum ſtudeant, tam qui in choro, quàm qui ad altare deſeruiunt, ut non tantum modulatione uoluptatibus aures afficiant, quantum chriſtianorum mentibus utilitatem porrigant, & deuotionem.

Cap. iii.

DIVINVM officium debita campanarum ſigna antecedant, ea interpoſita mora, qua ut clerici omnes Eccleſiæ oportune ſe poſſint offerre; cum autem Eccleſiam fuerint ingreſſi, ſigno crucis ſe muniant, & aqua benedicta aſperſi, flexis genibus ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum preces Domino fundant: quibus porrectis, ſuperpelliciis induti, ſine quibus nemo in choro, & in Eccleſia miniſtrare debet, pulſata parua campana, cum modeſtia, & reuerētia quam locus, & officium expoſcunt, quiſque locum ſuum adeat, & ab eo, cuius hoc erit munus, omni deuotione officiū

inchoetur,

inchoetur,& ab aliis poſtea ſuperuenientibus eædem ceremoniæ ſeruentur.

Cap. iiii.

IN ſuis ſedibus quiſque ſedeat,nec locum mutet,nec layci intermittantur, & ſimul omnes modo ſedeant,modo ſtēt, modo genufleƈtant,caput aperiant,operiant,& ſubmittãt, pro ut officii ratio exegerit, nec choro exeant, niſi diuino officio peraƈto, & ſi alicui urgente iuſta cauſa exeundum erit, ea honeſtate,& maturitate gradiatur, quæ debet ei eſſe coniunƈtiſſima.

Cap. v.

NEMO in ſua ſede ſit otioſus, ſed tam dignitates, quàm canonici,omneſq; alii præſentes aperte pſallant,modo per ualetudinem queant, & dum diuinũ officium dicitur,à leƈtione cuiuſuis ſcripturæ,etiam priuati officii abſtineant;deuitent colloquia,riſum arceant,iocos,& rixas caueant,& ſomnum non ducant,& officio peraƈto ſanƈtæ Euchariſtiæ honore præſtito, honeſte in ſua cuiquam liceat remeare.

Cap. vi.

MATVTINVM in choro alternis uicibus dicatur, leniter,diſtinƈtè,& ſtudioſe, & eo tempore pro Eccleſiarum conſuetudine, uel Epiſcoporum ordinatione celebretur,modo tamen ea ſit hora,ut matutini nomen iure ſibi ſortiatur,idemque fiat de aliis horis,& miſſis, ut cõgruo tempore celebrentur.

Cap.

Cap. vii.

ARCHIPRESBYTERI, Archidiaconi, aliique in dignate Eccleſiaſtica conſtituti canonici, & reliqui Eccleſiarum miniſtri, omnes in ſacris Eccleſiæ officiis munus ſuum ipſi obeant, non per alios exerceant, & teneantur per uices, altaris miniſterium ſubire, ordinem ſui gradus, & ſacerdotii conſequuti, & in Choro officium hebdomadarum præſtare, idque ſemper in orbem fiat, qui ſi ſuo muneri, & officio defuerint, niſi legitime impediti, ſeueriſſime puniantur. Diaconi uerò, ſubdiaconi, & cæteri Eccleſiarum miniſtri eo modo, & forma, eoque ordine altari, & choro inſeruiant, quem Epiſcopus, uel eius Vicarius decreuerit ordinare, & prima tonſura initiati, & in minoribus conſtituti, clericali priuilegio non gaudeant, niſi diebus ſaltem feſtiuis Eccleſiæ inſeruiant: In ferialibus uerò deſtribuantur per uices, ut partim inſeruiant, partim ludo literarum incumbant, pro ut iudicium Epiſcopi, uel eius Vicarii exegerit.

Cap. viii.

CVRET Epiſcopus, ut quemadmodum admonuit ſancta Tridentina Synodus, Diaconi, & Subdiaconi ſaltem dominicis, & feſtiuis ſolemnibus diebus cum altari miniſtrauerint, ſanctam Euchariſtiam ſumant, reliqui uerò inferiores, ſaltem ſemel in menſe.

Cap. ix.

MATVTINVM Veſpere non dicatur, exceptis tamen diebus octauæ feſti Corporis Chriſti Domini noſtri, cæteriſque diebus, quibus ex Romanæ Eccleſiæ inſtituto, aut ipſius Eccleſiæ conſuetudine eſt permiſſum.

Cap.

Cap. x.

SI in matutinis beatiſſimæ Virginis officium celebratur, primo capitulo iam completo ſi non celebratur primo pſalmo uenite exultemus iam completo, in aliis etiam horis completo primo pſalmo, & in miſſa poſt finem ultimi Chirieleyſon ad Chorum quis ſe contulerit, pro abſenti habeatur, illiuſq́ue horæ diſtributione careat.

Cap. xi.

AQVAM benedictã, cuius aſperſione ſe fideles ſanctificant, uenialia purgant, & ab incurſu hoſtis ſe protegunt, dominicis ſingulis quibuſq́ue diebus Archipresbyteri, & curam gerentes innouandam curẽt, & ideo quolibet die ſabati fontes in Eccleſiarum aditu poſitos expurgari, ac ſordibus omnibus mundari, & munda aqua impleri faciant: quæ uerò extracta fuerit, non per Eccleſiam proiiciatur, ne pedibus benedicta comprimatur, ſed in ſacrarium ingeratur, & in craſtinum de mane noua benedicatur, ſeruata benedictionis forma, & ritu in baptiſterio traditis.

Cap. xii.

CEREMONIAE omnes quæ ſignacula ſunt, pietatis, & religionis Chriſtianæ à Romana Eccleſia inſtitutæ, & ſeruari ſolitæ, ut ſanctè, & pie ſunt inuectæ, ſic religioſe conſeruẽtur in Eccleſiis. Quæ uerò particulares ſunt, in ſingulis Eccleſiis huius Prouinciæ, de iis Epiſcopi conſiderent, quàm bene fidei, & pietati Chriſtianæ conueniant, nec nouæ ullæ in Eccleſia recipiantur ſine Epiſcopi iudicio. Superſtitiones autem ſi quæ ceremoniarum nomine in Eccleſiis inoleuerunt, per Epiſcopos tollantur, agaturq́; ſedulo, ut Rectores eccleſiarum Synodis Diœceſanis renuncient quidquid circa hæc cognouerint eſſe corrigendum.

Cap.

Cap. xiij.

ORGANORVM uſus ad ornatum diuini cultus in miſſis, cæteriſque diuinis officiis, ut Concilio Tridẽtino mandatum eſt, ſeruetur, nec modulationes laſciuas imitetur, ſed ſoni ſint eccleſiæ, & domui Dei, & diuinis laudibus accommodati.

Vt miſſæ et alia diuina celebrentur iuxta obligationes cuiuſlibet, et de earum reductione.

Cap. i.

CVM ſancta, & ſalubris ſit cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſoluantur, & decens ſit, pias defunctorum uoluntates Epiſcoporũ diligẽtia adimpleri, hortatur ſancta Synodus omnes comprouinciales Epiſcopos, quod ſui officii memores, moneant omnes, & ſingulos ſuæ Diœceſis ſacerdotes, tam ſæculares quàm regulares ordinum quoruncunque qui legata, cappellas, altaria, & beneficia quæcunque ſacerdotalia habentes, miſſas certis diebus, & temporibus tã pro uiuis quàm pro defunctis celebrare tenentur, quod de cætero perpetuis futuris temporibus miſſas eiſdem ſuis legatis, cappellis, altaribus, uel ſacerdotalibus beneficiis à iure uel ab homine taxatas, deputatas, & ſignatas inuiolabiliter, & ſine intermiſſione uel fraude aliqua per ſe ipſos, ſeu per alios idoneos per nos approbandos celebrari facere debeant, ſuis debitis locis, & horis: quod ſi intermiſerint, & ceſſauerint, uel eos fructus ſibi uendicare, uel ad alios transferre auſi fuerint, uel in quem debent uſum non impenderint, ſacrilegii reos eſſe ſe intelligant, & grauiter & ſeuere in eos animaduertant,

prout

Digitized by Google

prout magis ſibi opportunum, & expediens uidebitur.

Cap. ii.

ET quia in hac Prouincia, præſertim in locis ubi eſt paucitas presbyterorum, maior eſt miſſarum numerus, quàm ut ab eis adimpleri poſſit, & eleemoſynæ uix aſcendunt pro qualibet miſſa, ad quartam partem unius carleni, iuxta Tridentini Concilii Decretum, uiſum eſt huic ſanctæ Synodo Epiſcopis præcipere, ut defunctorum animæ non fraudentur debitis ſuffragiis, & ſacerdotes pro ſacerdotii dignitate commodius uiuere poſſint, quòd uel reductione miſſarum, uel multorum anniuerſariorum inſtitutione, uel augumento eleemoſynarum (quòd erit difficile) uel aliis rationibus, quæ magis expedire uidebuntur, ita prouideant, quòd conſcientiæ ſuæ ſatisfecerint, & quòd magis oportunum eis uiſum fuerit, adimpleant.

Cap. iii.

OBLIGATIONES autem miſſarum, & anniuerſariorum in tabella deſcribantur, quæ quidem in ſacriſtia ſeruetur, omnibus inſpicienda, ne defunctorum animæ ſuo uoto, & deſiderio fraudentur.

De priuati officii celebratione.

Cap. i.

EX Decreto Leonis Decimi in Lateranenſi Concilio, ſancta Synodus negligentiæ clericorum occurrere cupiens, mandat, ut clericus curatum, uel ſine cura beneficium obtinens, ſi poſt ſex menſes ſine iuſti impedimenti cauſa ab illo die quo illud obtinuerit, diuinum officium non

Digitized by Google

dixerit,fructus ſuos non faciat. Si uerò canonicè admonitus in negligentia ſeu malitia perſeuerauerit, beneficio priuetur: is uerò dicatur officium omittere,ut beneficio priuari poſſit. qui quindecim dierum ſpatio bis illud omiſerit. Qui uerò ſacris initiati beneficium non habeant, præter graue peccatum grauiter in eos ab Epiſcopis animaduertatur. Hortatur etiam ne deambulando horas canonicas dicant, ſed in aliquem locum orationi aptum concedant. ne mentis uagatio fructum orationis intercipiat.

De Piis locis.

Cap. i.

ORDINARII locorum nullo detracto labore,quicquid pro locorum piorum uiſitatione, & adminiſtratione,ſacro Concilio Tridentino demandatum eſt, diligenter obſeruent, & inuiolabiliter obſeruandum curent. fidelium eleemoſynis dotata ſunt, & illorum uoluntati pie,ut decet,ſatisfaciendum eſt, Epiſcopis igitur ſancta Synodus mandat,ut Hoſpitalia,& pia loca ad uſum pauperum, ſenum,peregrinorum,& infirmorum inſtituta,quæ in commẽdam aut adminiſtrationem,uel in titulum,uel aliàs ſuis Eccleſiis unita,conceſſa ſunt, à ſuis adminiſtratoribus etiam quomodocunque exemptis diligenter gubernari procurent, & impoſitum illis onus,officiumque fideliter ab ipſis adminiſtretur,domus uerò,& ædificia ſi ruinoſa ſint,reſarciantur,uel etiam ſi opus fuerit,demum reædificentur: & in qua ciuitate, uel oppido duo, pluraue fuerint Hoſpitalia quibus ſingulis pauci ſint fructus,in unum redigenda curent, & illorum fructus in alium pium uſum pro loco,& tempore magis utilem, iuxta Tridenti ni Concilii Decretum ſuo arbitrio conuertantur;

tur; quorum adminiſtratio eidem perſonæ ultra triennium non committatur.

Cap. ii.

NVLLVS eorum quibus talium locorum adminiſtratio conceſſa fuerit, quicquam uendere, permutare, in emphiteoſim tradere, aut alio quocunque alienationis genere in alios transferre præſumat inconſulto Epiſcopo; & ſuæ adminiſtrationis ſingulis annis ſuo ordinario rationem reddere teneatur, & per cenſuras compellatur. Et qui poſt hac ad piorum locorum adminiſtrationem eligentur, ſiue layci fuerint, ſiue clerici, omnia fideliter ſe geſturos in manibus ordinarii iuramento ſpondeant: Et quos Eccleſiis, Hoſpitalibus, & piis locis quicquam debere Epiſcopi depræhenderint, nec adminiſtrationem, nec procurationem ad prædicta pertinentem eos ſubire patiantur.

Cap. iii.

NOTARIIS, & aliis quibuſcunque actuariis ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, ſancta Synodus præcipit, ut reuelent, & producãt ordinario trium menſium ſpatio teſtamenta, & codicillos, cæteraque ſcripturarum genera ad pias cauſas factarum, quæ uel ipſi rogati ſcripſerunt, uel penes ſe detinent ab aliis ſcripta, & ſub eadem pœna præcipitur iiſdem, ut intra menſem deinceps legitimo tamen impedimento ceſſante, legata omnia, quæ eis ſcribenda contingent, ordinario, in cuius Diœceſi legata ſunt facta, denunciare non omittant.

Cap. v.

CONFRATRES cuiuſcunque ſocietatis publicas illas commeſſationes, quæ certis feſtis diebus fieri conſueuerũt, ne amplius exerceant, pœnis propoſitis Epiſcopi procurent, ex quibus ſcandala, & iurgia oriri ſæpe perſpicuum eſt.

De Monaſteriis.

Cap. i.

OMNIA quæ infra ſtatuuntur de monaſteriis & perſonis tam uirorum, quàm mulierum regularium, locum habeant in his quæ ipſis Epiſcopis etiam ut ſedis Apoſtolicæ delegatis ſunt ſubiecta.

Cap. ii.

CVM in hac noſtra Prouincia Regulares obſeruantias maxima detrimenta accepiſſe manifeſtiſſime inſpiciamus, præſertim in uirorũ monaſteriis: ſtatuit hæc ſancta Synodus, Decretis ſacri Tridentini Concilii ſatisfaciẽdo, ut unusquiſque ad inſtituti ſui regulam, ſe moreſque ſuos conformet, & in omnibus utriuſque ſexus Monaſteriis, omnia iuxta eiuſdem Concilii Decreta exequantur, ut regularis diſciplina ubi conſeruata eſt, firmius ſtabiliatur, & ubi collapſa eſt, facilius reſtituatur.

Digitized by Google

Cap. iii.

IN Eccleſiis, & Oratoriis non autem in aliis locis diuina officia deuotè, attentè, punctuatim recitentur, quod proximorum ædificationem maxime operari dignoſcitur: & monaſteriorum præpoſiti frequẽter diuinis interſint officiis, tanquam gregis dominici ueri Rectores.

Cap. iiii.

PRIVATAE menſæ prohibeantur, agantque ſuperiores, omnes qui legitime non fuerint impediti, ad unũ conuenire refectorium, & in eodem loco, eademque menſa cibum capere, cum menſæ communio, charitatis unionem deſignet, & ſeruato ſilentio, ſacra lectio in conuentuali menſa adhibeatur, ut unà cum corpore ſumat quoq; & mens cibum: ſimul etiam ieiunia iuxta uniuſcuiuſque regulam, & conſuetudinem reſtituantur. Menſa ſit frugalis, & uitentur exceſſus. Nulli ſermones irreligioſi miſceantur, ſed qui boni ſint & honeſti, niſi ardua, & honeſta cauſa per ſuperiores approbãda, extra clauſtra Monaſterii regularibus pernoctare non liceat, in quo non nimium faciles ſe præbeant ſuperiores, & nemini unquam ingreſſus ad Monaſteria pateat: & ſi qua neceſſitas occurrerit, conſulatur Epiſcopus, prohibeanturque commertia tam uirorum quàm mulierum, quibus caſtitatis uotũ in aliquo periculo conſtituatur: & ordinarii iuramentum recipiant ab omnibus, qui curàm habere prætendunt de clauibus dictorum Monaſteriorum, ut melius ipſis uidebitur pro conſeruatione dictæ clauſuræ.

Cap.

Cap. v.

PAVPERTATIS, & obedientiæ uotum fideliter obſeruent,nec proprietatis uitio uiolent, nec quid pecuniæ, aut alterius rei retinere, & ad priuatum commodum poſſidere ſine ſuperioris licentia præſumant.

Cap. vi.

CVRENT ſuperiores, ut nouitiorum, uel nouitiarum iuuenum inſtitutio,& formatio cōſeruetur, uel inſtauretur,& ad plenum doceantur, quæcunque in Regulis ab eis obſeruandis continentur,præſertim quæ de regularibus ſacrum Concilium Tridentinum ſtatuit, & præcepit,ne imprudenter ad uotum accedant.

Cap. vii.

EPISCOPI diligentiſſime aduertāt,ut puellæ quæ prætergeſſæ fuerint annum ſextum decimum,profeſſionem emittant. quæ uerò profiteri noluerint, è Monaſterio remoueantur:& quæ ad benedictionem offeruntur, in habitu honeſto,& non nimium ornatæ accedant.

Cap. viii.

SCIANT omnes ſe anathemati eſſe ſubiectos, qui coegerint quamcunque mulierem inuitam præterquam in caſibus à iure expreſſis,ingrediendum Monaſterium,uel ad ſuſcipiendum habitum cuiuſcunq; religionis,uel ad emittendam profeſſionem,quique conſilium, auxilium, uel fauorem

rem

rem dederint,& quod ſimili quoque anathemati ſubiiciũtur, qui earum ueli accipiendi, uel uoti emittendi uoluntatem quoquomodo impedierint.

Cap. ix.

RATIONES ſingulis annis acceptorum,& expenſorum cognoſcant,& iudicent Epiſcopi, ne res monaſteriorum aliorum arbitrio diſpenſentur, ſed fideliter omnia adminiſtrentur. Cognoſcant et Monaſteriorũ redditus,ut de numero monialiũ recipienda ũ poſſint ſtatuere.

Cap. x.

IN Confeſſoribus præficiendis,aut capellanis,& aliis Monaſterio ſeruientibus,ut ſint uiri integri,& boni nominis, in præfectis ad regimen creandis,in conuerſis,& ſæcularibus puellis,quæ in Monaſteriis educantur,in prædicatoribus & in omnibus aliis quæ ad moniales præcipue ſpectare uidebuntur,ut frequenter conciones audiant,& frequenter confiteantur,ac communicent,ſumma cum diligentia Epiſcopi ipſi curam omnem ſuſcipiant,& in ſuis Diœceſanis Synodis ea ſtatuant,quæ magis expedire uidebuntur ad regularis diſciplinæ conſeruationem.

De Vita et honeſtate Clericorum.

Cap. i.

SACRA Tridentina Synodus, reformationis negotio incumbens, docuit, nihil eſſe, quod alios magis ad pietatẽ, & Dei cultum aſſidue inſtruat,quàm eorũ uita, & exemplum, qui ſe diuino miniſterio dedicarunt: & ideo innouari,& obſeruari ſtatuit omnia ea,quæ à ſummis

Pontificibus

Digitized by Google

Pontificibus & à ſacris Conciliis de clericorum uita,& honeſtate,cultu,doctrinaque retinenda ſancita ſunt, quæ omnia hæc Prouincialis Synodus amplectetur,& ueneratur,& ex eis nonnulla ad notitiam adducit, ut minori excuſatione digni habeantur,qui contrafecerint, & in ea inciderint.

Cap. II.

PRAECIPIT igitur omnibus Eccleſiaſticis perſonis quantumcunque exemptis huius Prouinciæ, ut infra terminum unius menſis honeſtam uitam habitu, geſtu,ſermone,ac inceſſu dignitati ſuæ congruentibus præſeferant,ac profiteantur,& ita mores ſuos componant, ut reliqui ab eis modeſtiæ,continentiæ, ſanctæ humilitatis,ac frugalitatis exempla petere poſſint,coronam ordini ſuo congruam, & uiſibilem continuo deferant,comam & barbam ſtudioſe non nutriant,ſed ſimplicem cultum adhibeant, & barba à ſuperiori labro ita recidatur,ut ſumentem Chriſti Domini corpus nõ impediat;bireto more Romanæ Curiæ ac pileo non in acumine tendente,& cum congruenti plica utantur. Veſtis exterior talaris ſit omnino,interior eiuſdem generis ad talos dimittatur,quam tamẽ pro hominum genere,proque loci natura,ac conditione ordinariorum arbitrio moderãdam relinquimus; ſi qui uerò adeo paupertatis neceſſitate premantur,quòd prædictas ueſtes talares emere nequeant,ordinarii prouideant,ut ab habitu laycali prorſus differant: Sagularum breuium, & ad medium crurium non tendentium, aliarumque expeditarum ueſtium uſum præter quàm extra mœnia, & in itenere, prohibemus.In omni ueſtitu color tantum niger adhibeatur, niſi dignitatis gradus alium colorẽ requirat,pallio, quod ferrarolum appellant, niſi per pluuias non utantur, nec à collo plus duobus digitis emineat: neque eo ſine talari toga utantur,

tur,interulas ſiue camiſias ad collum, & ad manus criſpas, uel laboratas,uel cum collariis pendentibus,nec non caligas turcidas,& diſſectas,uel conciſas interdicimus. Monile ad collũ, ſiue anulum niſi ſit iure conceſſus,& ſoleas aliaque calciamẽta ſi,icea,& inciſa non deferant,& diploide albo diſcooperto uel conciſo non utantur.Canonici uero diebus ſaltem dominicis,& feſtiuis almutias ſuas non deferant.

Cap. iii.

PROHIBET etiam ſancta Synodus cum mulieribus conſuetudinem,etiam extra domum,de quibus ſuſpitio oriri poſſit,in domo uerò nulli mulieri cohabitent ſine expreſſa licentia à ſuo ordinario in ſcriptis obtenta,nec liceat mulieres cuiuſcunque ſint conditionis aſſociare, nec ad brachium ducere,aut eis famulari.Tabernas publicas nõ aperiant,neque ingrediantur niſi cauſa peregrinationis compulſi : ab ebrietatis,& crapulæ macula prorſus abſtineant,& propinationes quas inter conuiuas paſsim fieri uidemus,nec recipiant,nec aliis propinent. Arma ſiue ad proprium tutamen, ſeu ad nocumentum aliis inferendum interdicit, niſi iter ſit faciendum, & per loca ſuſpecta, & tunc de ordinarii licentia. Mercaturæ, & ſæcularibus negotiis per ſacros canones prohibitis ſe non immiſceant, neque choreis,comædiis,fabulis, haſtiludiis, aliiſque profanis ſpectaculis interſint, neq; ludant aleis cartiſue,aut aliis ludendi commoditatem præbeãt. Perſonati,aut de nocte in habitu ſæculari ſeu cantando non incedant,& à Venatione abſtinebunt. Poſtremo omnia quæ pie, & ſapienter Sancta Tridentina Synodus duce Spirituſancto Clericis præſcripſit obſeruanda,ſancta hæc Synodus Prouincialis mandat,& præcipit.Qui uero in aliquo horum deliquerit,pœnis eiuſdem Concilii Tridentini,ac ordinarii arbitrio puniatur.

De Blaſphemia.

Cap. i.

CLERICVS, uel ſæcularis qui Dei nomen, quod uerè tremendum & ſanctum eſt, cui omne genuflectitur, uel ſanctiſsimæ Virginis quã in matrem ſibi Chriſtus elegit, uel ſanctorum, qui cum Chriſto regnant, palàm, ſeu publice blaſphemare non uerebitur, ſancta Synodus mandat, ut iuxta ſacrorum canonum ſtatuta, maxime uerò eorumquæ Leo Decimus in Concilio Lateranẽſi decreuit, Epiſcopi eos omnes attrociſsime punire ſtudeant, ut aliis tranſeat in exemplum: cum illis uerò, qui non palàm aut publice blaſphemauerint, aut maledicta contulerint, mitius iudicis arbitrio erit agendum: ſciantque qui blaſphæmiis interfuerint, aut blaſphemantes audiuerint, niſi eos pro prima uice redarguant, & pro ſecunda, ſi domi habeant, ab eorum domibus non expellant, uel ad iudicem Eccleſiaſticum eius nomen intra triduum non deferant, eorum peccato non parum communicare. Confeſſores blaſphemantibus grauem pænitentiã imponant: & Principes, & magiſtratus omnes obſecramus, ut hæc omnia pro Dei gloria diligentiſsime obſeruari ſtudeant.

De Simonia, et Vſuris.

Cap. i.

QVONIAM Simoniaci per noſtrorum temporum malitiam omnia ſibi licere iam exiſtimant, aduerſus cuiuſque gradus, & dignitatis in hac Prouincia cõſtitutos diligẽter inquiri, & contra Simoniacos ipſos antiquorũ canonũ ſeueritatem ab Epiſcopis exerceri ſancta Synodus mandat.

Digitized by Google

Cap. ii.

DE uſuris autem, quas in hac noſtra Prouincia ad populorum pernicem frequentius committi animaduertimus, diligẽs inquiſitio fiat ab Epiſcopis, & quos inuenerint culpabiles, pœnis per ſacros canones conſtitutis acerrime puniant. Admoneanturque confeſſores, ut nullatenus abſoluãt, quos uſurarios repererint, niſi debita, ſi poſsint; ſatisfactione ſequuta: Confiditque ſancta Synodus, Beatiſsimum Dominum noſtrum Pium Quintum in hac re prouiſurum, præcipue, ne contractus adumbrentur ab iis, qui dicunt inſtrumenta conficere iuxta Bullas ſummorum Pontificum, cum tamen eas, & conditiones quæ in illis continentur, non obſeruent.

De Publicis Concubinariis, & Meretricibus.

Cap. i.

VT igitur ad eam quam decet continentiam, ac uitæ integritatem miniſtri Eccleſiæ reuocentur, & layci ſoluti, uel uxorati in damnationis ſtatu uiuere non audeant, præcipit ſancta Synodus, adulteros, concubinarios, & notorios fornicatores, ab Epiſcopis mulctandos eſſe, ſecundum ſacros canones, ac Decreta ſacri Concilii Tridentini, de concubinariis publicis omnino ſeruari debere, in quo Epiſcopi ipſi omnem diligentiam ſuam adhibeant.

Cap. ii.

VT meretricibus, in ciuitate ubi ſunt, locus aliquis deputetur, quo ab honeſtis mulieribus ſecernantur, & aliquem amictum palàm indutæ ſint, quo earum conditio innoteſcat, ſancta Synodus Epiſcopis ſolicitam curam gerere mandat, & ipſarum ciuitatum Rectores hortatur, ut hoc opus auctoritate ſua adiuuent.

De Seminario Clericorum.

Cap. i.

VT pernicioſo ignorantiæ morbo, & morū improbitati congrua adhiberentur remedia, & intra non multos annos haberet Eccleſia miniſtros idoneos ad laudabiliter munus ſuum obeundum, prudenter, & ſanctiſſime mandatū eſt à ſacro Tridētino Cōcilio Prouincialibus Synodis, ut ſeminarium clericorum in ſingulis Diœceſibus ubicunque id fieri poſſit, conſtitueretur; & quia propter peſſimam temporum calamitatem quæ huc uſque hanc noſtram Prouinciam tantopere fatigauit, & fatigat, & propter facultatum tenuitatem, & tenues fructus cathedralium Eccleſiarum, capitulorum, & omnium beneficiorum, nec non & propter nonnullas ipſarum Eccleſiarum cum earum Ciuitatibus, & Diœceſibus à Turcis deuaſtatas, & conſumptas, adeo Rectores Eccleſiarum, & Clerici omnes ægeſtate laborent, quòd ad huc exequi minime potuit, ſancta hæc Synodus eiuſdem Cōcilii Decretis, ut par eſt, parere cupiens, ſtatuit, & ordinauit, ut Epiſcopi comprouinciales intra menſes quatuor hoc ſeminarium

rium in ſuis Diœceſibus inchoādum omni ui, conatu,& diligentia curent,aut aliquam omnino rationem ineant inſtruendorum Clericorum in bonis literis & moribus. Quod ſi aliquod impedimentum interceſſerit, de eo Metropolitanum, & eo abſente antiquiorem in Prouincia Epiſcopum doceant, & conſulant:& demum ad ſanctiſſimum Dominum noſtrum reccurratur,quem pro ſua prudentia,& charitate prouiſurum non dubitamus.

De præbenda Theologali.

Cap. i.

CVRENT Epiſcopi,ut quàm primum Concilii Tridentini Decreto ſatisfiat, ut in Eccleſiis Cathedralibus,aut collegiatis,in oppidis inſignibus, quæ ſtipendium pro lectoribus ſacræ ſcripturæ aſſignatum non habent, primo præbēda uacatura ad hunc uſum conſtituatur,uel iudicio Epiſcopi prout commodius fieri poterit,alia ratio ineatur ſuæ Eccleſiæ,& Diœceſi accommoda,ne pia utilis hæc, atque fructuoſa prouiſio negligatur. In Monaſteriis monachorum,ubi commode fieri queat,& Conuentibus regularium, in quibus ſtudia commode uigere poſſunt,& in publicis gymnaſiis ſimiliter ſacræ ſcripturæ lectio habeatur,& docentes, & Scholares priuilegiis omnibus de perceptione fructuum in abſentia gaudeant,& fruantur.

De

De ſcholis, et ludi magiſtris.

Cap. i.

QVIA pleriſque in locis parentum incuria, & Paſtorum negligentia, excuſſo timore diuino multorum temeritas, audacia, & peccandi licentia creuit, ſtatuit ſancta Synodus, id curent Epiſcopi, ut quàm primum ſcholæ in urbibus, oppidis, & pagis Diœceſarum ſuarum, ſi collapſæ fuerint, reſtituantur. Si conſeruatæ colantur, & augeantur, ſi nunquam fuerint, de nouo introducantur, & inſtituantur: Dominos, magiſtratus, & uniuerſitates omnes hortantes, ut ſumptui non parcentes, honeſtæ uitæ, & ſacræ doctrinæ commendatos magiſtros conducant: & ſi opus fuerit, de fructibus ſuæ menſæ, & beneficiorum ſuæ Diœceſis contribuant.

Cap. ii.

MAGISTRI diſcipulos fidei rudimenta doceant, & bonis moribus, & ſalutaribus præceptis eos erudiant, libros uetitos, aut obſcenos nec legant, nec per ſe ipſos legi patiantur, & ſi quos alios prælegere uelint, non ante tamen id tentent, quàm ab Epiſcopo probati fuerint. Nam plerumq; libri grammatici, & dialectici ab hæreticis uariis erroribus, contaminati in lucem emittuntur, & ex formula Concilii Tridentini ſingulis annis fidei profeſſionē faciant, & obedientiam ſanctæ ſedi Apoſtolicæ cum abnegatione omnium hæreſum, promittant.

De

De libris hæreticorum ſuſpectis, et uetitis, et qui libri a clericis potiſsimum ſint legendi, et de non abutenda ſacra ſcriptura.

Cap. i.

CVPIENTES, quantum cum Deo poſſumus, gregē nobis commiſſum ab omni, ne dum hæretica prauitate, ſed ſuſpitione tueri & cuſtodire, mandamus, ne quiſquam abſq; Eccleſiaſtica auctoritate hæreticorum libros habeat apud ſe, aut legat, ſed ſtatim eos in ignē iniiciat. Qui ſecus fecerit, cum primum de eo conſtiterit, excommunicetur, & ſeuerisſime aliis pœnis puniatur.

Cap. ii.

REGVLAS Indicis librorum uetitorum ab Apoſtolica ſede editi, Epiſcopi ab omnibus eorum curæ cōmiſsis, & præcipue à bibliopolis obſeruari diligenter curent, illis inhibendo, ne libros ubicunque impreſſos uēdant, aut teneant, quos ipſe Epiſcopus, ſiue ab eo deputatus non approbauerit. Quæ omnia ſemel unoquoque menſe à Parocho clare, & aperte populo promulgentur.

Cap. iii.

MAGOS, maleficos, & qui cum Demonibus pactiones, & fœdera faciūt, diuinatores, ſortilegos, coniectores, hariolos, aſtrologos, certo aliquid uenturum affirmantes, & in itineris ſuſceptione, aut alicuius rei inſtitu-

tione

Digitized by Google

tione dies,tempora,& momenta obſeruantes, & alios huiuſmodi Epiſcopi acriter,& ſeuere puniant,& omnes libros quorum opera uti ſolent,prohibeant,& exterminent, & præcipue diligenter curent, ut quas ſtrigas uocant, quibus hæc noſtra Prouincia abundat,omnino deleantur, & exterminentur.

Cap. iiii.

CVM ſacræ ſcripturæ cognitione regatur Eccleſia, doceatur populus,conuincantur hæretici,adminiſtrentur ſacramenta,& demum omnia ſacerdotum munia abſoluantur,ſacerdotes, ac clerici omnes præcipue pœnes ſe ſacram ſcripturam habeant,ſcilicet uetus,& nouum teſtamentum,cathechiſmum nuper Romæ æditum, ſacrum tridentinũ Concilium,has conſtitutiones,& Diœceſanas proprii Epiſcopi,aliquam ſummam, præcipue Antoninã,Homiliarium aliquod probatum,& Paſtorale ſancti Gregorii, cum Opuſculo Diui Chriſoſtomi, de dignitate ſacerdotali, nec non librum qui dicitur Sacerdotale: & qui caruerit his libris, ſeuere puniatur.

Cap. v.

EPISCOPI ex ſacrorum canonum & tridentini Cõcilii Decretis grauiter animaduertãt in uiolatores uerbi Dei,qui uerba ſacræ ſcripturæ ad profana,uana,ſcurilia,fabuloſa, adulationes, ſuperſtitiones impias, detractiones,& diabolicas incantationes,diuinationes,ſortes,libellos, etiam famoſos uſurpant,& torquent,& ne de cætero huiuſmodi irreuerentiam,& contemptum quiſquam committat, diligenter procurent.

De

De uniformi ratione fori,& iuriſdictionis exercendæ in prouincia.

Cap. i.

CVM ſatis decorũ, & dignũ Eccleſiaſtica benignitate uideatur,ut omnia negotia cum multo minori impenſa in curia Eccleſiaſtica quàm ſæculari tractentur,& ut ratio fori, ac iuriſdictionis exercendæ certa aliqua, & uniformis forma in tota Prouincia conſtituatur, ſtatuit hæc Prouincialis Synodus,præſcriptam unam communem formam concipi,cuius erit uſus in Prouincia,& à qua nemini reſilire liceat, quod ut commodius perfici poſſit, ſtatuto die per Patres deputandi ab Epiſcopis Suffraganeis ad Metropolitanam Eccleſiam conueniant, atque cum eius Eccleſiæ officiali eam formam,& regulam inter ſe conſtituant, quæ poſtea Metropolitani,& ſuffraganeorum auctoritate ſtabiliatur,ut ab omnibus in Prouincia ſeruetur.

Cap. ii.

CVRENT Epiſcopi,ut Decretum ſacri Concilii Tridentini de examinatione, & approbatione notariorũ diligenter obſeruent, quorum imperitia multa cum maximo contrahentium præiudicio committuntur.

De Conſtitutionibus,& pænis.

Cap. i.

STATVIT ſancta Synodus, quòd aliæ conſtitutiões quas pro ſui cleri,& ſuæ Diœceſis unuſquiſque comprouincialis Epiſcopus in præteritum ædiderit, in ſuo robore permaneant, & quatenus opus ſit, innouentur,dummodo cõſtitutionibus ſacri Concilii tridentini, aut in hac Synodo æditis,uel publicatis non aduerſentur.

Cap. ii.

POENIS quæ in iis conſtitutionibus, & Decretis ad delicta coercenda per ſanctam hanc prouincialem Synodum decernuntur,non derogamus illis, quas ſacri canones,& Concilium tridentinum in eadem peccata conſtituerunt, & pecunias quæ ex dictis pœnis delicti cauſa prouenient,Epiſcopi nullatenus in uſum proprium conuertere poſſint, ſed alicui loco pio applicent,uel pauperibus,eorum arbitrio,accuſatoribus portione data,quæ quartam partem non excedat.

De

De Exequendis per comprouinciales Epiſcopos poſt receſſum huius ſynodi, et de aliis.

Cap. i.

CONFIDENS plurimum ſancta Synodus de religione, pietate, & charitate Epiſcoporũ comprouincialium, eos ſummopere hortatur. ac monet, ut ea, quæ ad bene, recteque uiuendum decernenda eſſe cognouerint, in prima Diœceſana Synodo celebranda, pro cuiuſq; Diœceſis neceſſitate, ac utilitate prouidere non differant, quã poſt receſſum huius Synodi unuſquiſque Epiſcoporum infra ſex menſium ſpatium cogat, in qua omnia quæ in hac Prouinciali Synodo definita fuerunt, unà cum Decretis ſacri Concilii Tridentini legantur, publicentur, & debitæ executioni demandentur.

Cap. ii.

HVIVS autem ſacræ Synodi Decreta ſuum robur habere declaramus ad duos menſes, poſtquam Eccleſiæ Metropolitanæ ualuis affixa fuerint, & facultatem quam ex Decretis in hac Synodo æditis Epiſcopi habent, ipſos per ſuos Vicarios exequi poſſe uolumus, niſi in iis quæ pertinent ad Epiſcopalem ordinem, uel in quibus Vicarii à ſacris canonibus Concilio Tridentino, uel à nobis ſunt, excluſi.

Digitized by Google

Cap. iii.

SINGVLAE cathedrales,collegiatæ, & Parochiales Eccleſiæ huius Prouinciæ, has conſtitutiones certo aliquo loco collocatas perpetuo obſeruent.

Cap. iiii.

CVM ſacrum Tridentinum Concilium alia multa decreuerit, quorum nulla Prouincialis huius Synodi Decretis fit mentio, quia ſatis expreſſa, & explicata ſunt:& quia magis generalia quàm ad hanc Prouinciam ſpectare uiſa ſunt,ea tamen omnia ſiue ad doctrinam, ſiue ad Eccleſiaſticam reformationem, & morum correctionem pertineant,cum his omnibus,quæ in hac Prouinciali Synodo ſtatuta definitaque ſunt, ſancta Synodus ab omnibus obſeruari debere declarat,& iubet.

Cap. v.

DECLARAT etiam ſancta Synodus, ex locis cuiquam aſſignatis, tam in ſedendo,incedendo, uota proferendo,ceremoniaſque faciendo,quàm in omnibus aliis actibus,nulli aliquod præiudicium fuiſſe illatum. Sed omnium iura,prærogatiuæ, gradus, & præeminentiæ illeſæ & ſaluæ remaneant,prout ante noſtri Cõcilii celebrationem reperiebantur.

Cap.

Synodi Hydruntinæ Cap. vi.

POSTREMO omnia, & ſingula quæ in hac ſacra Synodo decreta actaque ſunt. Beatiſſimi Romani Pontificis, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ matris, & magiſtræ ſemper emendanda, & corrigenda, qua debemus obedientia, ac reuerentia, auctoritati ſubiicimus. Laus Deo.

FINIS.

SERIES CHARTARVM.

A B C D E F G H I K L M.

Omnes ſunt Quaterniones.

ROMAE,

Apud Iulium Accoltum.

M. D. LXIX.

Digitized by Google



E di piu una altra [illegible] alle 23
auto preso alai corsini at le cu
legiar dino : 7 3 0

ERRATA ANIMADVERSIONE DIGNA, PRÆTE comas & puncta male poſita, quæ prudens Lector ex ſuo iudicio, uel demet, uel addet, ut recte rei ſenſum percipiat.

In Epiſt. procemi. lin. 3. conferentur leg. conferantur.

Car. 1. pag. 2. lin. 2. ſymbolo ſubſtantialem, dele ſubſtantialem.

Car. 4. pag. 1. lin. 3. Diæceſibus lege. Diœceſibus.

Car. 9. pag. 1. lin. 16. annet, leg. attinet.

Car 9. pag. 2. lin. 10. Confeſſionis, lege Confeſſoris.

Car. 11. pag. 1 lin. 11. mercedem. lege. mercedum.

Car. 13. pag. 1. lin: 5. confeſſionis, leg. confeſſo[illegible].

Car. 17. pag. 2. lin. 17. conſenſu, lege. conſenſus.

Car. 18. pag. 1. lin. 19 merire, lege meiere.

Car. 18. pag. 2. lin. 9. in loco, lege, u lo in loco.

Car. 20. pag. 2. lin. 1. cæmiterii, le[illegible] Cœmeterii.

Car. 21. pag. 2. lin. 25. præfui, leg. pr[illegible] fici.

Car. 22. pag. 1. lin. 15. Epiſcopi, le[illegible] Epiſcopo.

Car. 28. pag. 1. lin. 2. tantenti, leg. co tenti.

Car. 29. pag. 2. lin. 4. quinquenniu[illegible] leg. quinquennio.

Car. 29. pag. 2. lin. 29. tendas, lege tenendas.

Car. 35. pag. 2. lin. 18. ingrediendum leg. ad ingrediendum.

Car. 37. pag 1. lin. 5. ſi, icea, leg. ſer cea.

VA1 1528249

... ponz 14

sotenis dui et mi 3 et m[illegible]

li 6 zia feli 4 a febrivo 1588

Joannovici costellim[illegible] ilio ucer[illegible]

Vegijnro claris[illegible] cu Suburli[illegible]

ducini dei otgune dicie [illegible]

a bocal dincelo mi[illegible] eroat ci [illegible]

maravin uno voturo et [illegible]

E uno votuto ser fi[illegible]

feli [illegible] a febr[illegible] 1588 –

[illegible] ammo [illegible]

[illegible] cinnce [illegible]

yotuh 4 [illegible]

[illegible] cosh [illegible]

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

1
5